Lex & Lux

Christiana.

Seu.

Decalogus Methodice

Propositus.

A

JOHANNE GULINSKY
Prædicat. & Prof. Pol. in
Gymnasio.

Hæc est dilectio Dei, ut mandata ejus servemus. 1. Joh. 5.

Addita sub finem Chronologia universalis, cum antiquitatum annotationibus brevis.

Typis Rhetianis A. M. DC. XXIIX

IN Legem & Lucem.

Moſe vale: poſt hac â te non tangar & angar:
Doxa ſonant: omnis noxa remiſſa gregi eſt.
Certa Dei lex eſt: damnans incredulos, eſto,
At vitam Chriſto credulus omnis habe.
Lux Deus eſt, homines noctis non lucis amantes
Sunt: non ergo Deus, ſed reus orbis erit.
Lex perimit, ſed Rex redimit, grex munera paſcit:
Lege perit, qui non cum Grege Regis erit.
Non labor agricolæ, nec vis facit optima terræ,

Sed

Sed fructum ex granis gratia
ſola facit.
Chriſte veni in nos, cum propter
nos veneris ad nos,
Vt tuus hinc per nos glorifice-
tur honos,
Si datur hic angi, da neſcia pe-
ctora frangi,
Et te poſt modicum poſſe vi-
dere Deus.



SPECTABILI, HUMANISSIMO, VIRTUTE ET ERUDITIONE PRÆSTANTI

VIRO

Dn. Adriano Engelke/

Civium Gedanensium Negotiatori Florentissimo.

Domino & Patrono summâ Reverentiâ æviter colendo.

In grati ânimi significationem & beneficiorum collato ornatu ad aram observantiæ

Hanc hostiam consecrat & dicat

Idem qui supra

c
h
r
r
r
c
s
c
r
c
s
t
t

NUllius Angeli ne dicam hominis ingenium & eloquentia inexhauſtam ſapientiam Dei in hac vita cognoſcere poſſet: niſi per Filium ſuum Dominum noſtrū Jeſum Chriſtum mentes humanas obscuras cæleſti doctrina edoctas illuſtraret ille, qui & utilitatem dignitatemq; legis ſuæ homini in Decalogo propoſuit; certo eſſe Deum patefaciens, ſupra uſitatum ordinem naturæ, ac convincens mentes tantis miraculis factis in pro-

mulgatione legis. Quæ quoniam non modo eſt præcipuum teſtimonium, quod ſit Deus; verum etiam quod juſtus, verax, caſtus accuſans & damnans homines propter peccatum in horrendos cruciatus & pænas: juſtos vero præmiis ornans. Et ideo hæc Dei lex eſt lux & norma hominum in externis actionibus; eſt nervus omnium imperiorum & civilis ſocietatis; eſt fons legum honeſtarũ, eſt deniq; ſalus a qua pax & tranquilitas dependet: cujus Deus noti-

tiam hominibus ad imaginem ſuam conditis, velut radios ſapientiæ ſuæ ita inſevit, ut & vitæ normam cum actionibus conformantibus ſe voluntati Dei in decalogo patefecerit.

Quare etſi in officiis omnium virtutum debent homines obedientiam Deo: multo autem major diligentia & contentio decet ſublimioris ſtatus Doctiſſimos viros in virtute elaborare colenda. Interim cum univerſam vitam tuam Teſtimonio legis Divinæ video te accomodare:

mandatum magnum legis, maximo virtutum tuarum ſplendori offero.

Fide etenim tuâ & meritis erga Eccleſiam conceptis: Generis & Familiæ nobilitate: Sapientiæ magnarumq; artium doctrina: morum elegantia & gravitate: conſiliorum & actionum moderatione & dignitate, ut & vere præbeas illuſtrem virtutis & ſapientiæ imaginem, mirabiles excitans ſui amores) id tibi dedico: quod Pſalmis: Legem Domini immaculatam

convertentem animas testimoniumq; fidele vocat.

Ergo cum in hoc signo victoria : hæc lex ut in medio tui florens floreat opto: cujus & explicationem satis brevem offero, ut meditatio tua sit :qua edoctus omnium blasphemorum & contradicentiũ tela excipias: Quamobrem mediocri, at multi fructus labori faue. Non dubito quin id tibi gratum & acceptum non sit, & libri hujus Patronus existes. Mei autem muneris erit, pro felici statu

tuo Deum orare: qui & in lege ſua ambulare, nec deficere te ab ea faciat benedicens coronæ anni. Ex Colleg. 7. Decembris. 1638.

JOHAN GVLINSKY
Prædic: Prof. Polonicus

TABVLA PRIMA

Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Cõfitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici. Psal. 118 ver. 6.

Præceptum Primum Primæ Tabulę.

Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neq; coles. Exod. 20. &c.

Summa hujus Præcepti.

Requiritur ad explendum hoc Præceptum Notitia Dei & Essentię ejus, nec non Trinitatis in tantum, in quantum nobis per verbum DEI & Filium ejus revelata est. Quam necessariò sequatur fides, nam sine

hac impossibile est quenquam placere Deo: hac enim postpositâ ad Idololatriam & superstitionem facilis accessus. Sed nec timor Dei absit cum humilitate alias hoc praeceptum nec intelligere nec observare poteris, ut infra suo loco patebit.

Explicatio.

Prout nil videt ille qui colorum discrimina dijudicare nequit, sic obscurum & languidum lumen ejus est, qui discrimen virtutum & vitiorum cernere & actiones suas regere non potest. Cum etenim mentibus nostris lux quaedam insita sit divinitus, quâ intelligere & aspicere valeamus, quam Paulus legem & paedagogum ad Christum nominat, ubi & morbum peccati intelligere, & medicum Filium Dei quaerere possumus: Ideo lux christiana in vitâ piorum justè vocatur: hinc namq; notitia vitae aeternae: hinc notitia Dei. Cui

quia repugnant illi, qui fingunt Deum esse permixtam mentem omnibus corporibus mundi cientem & agitantem omnia. Idcirco notitiam duplicem esse: in hac vitâ imperfectam: in alia firmam & immotam ex Pauli verbis testamur 1. Corinth. 13. nunc enim tanquam parvuli lactentes sumus: post videbimus eum sicuti est: 1. Joh. 3.

Certũ est ethnicis aliter Essentiã divinam innotuisse, at tres personas eos discernere idololatrico cultu monstrosæ multitudinis Deorum non posse. Alij, qui patefactam voluntatem Dei in lege quidem norunt, verum cultum unius Dei & præcepta nonnulla abhorrent. Alij verò nec vitam æternam, nec remissionem peccatorum propter Filium Dei credunt. Vnde autem hoc quia etiam ethnicis inerat mens humana, & menti lumen legis divinæ, quæ ideo proposita est, ut sit testimonium de Deo. A-

liter Christianis innotuit notitia Dei per verbum scilicet & Filium ejus, qui est imago integrè ostendẽs nobis æternũ Patrem, ubi adest Spiritus S. qui lucem rectè agnoscentem essentiam & voluntatem Dei in mentibus accendit, ut 1. Cor. 2. Nobis revelavit DEVS per Spiritum suum. Ergo cùm nemo potest venire ad me (dicit Christus) nisi Pater traxerit eum Joh. 6. Audiamus sermones Dei, quæramus sapientiam quasi pecuniam, tunc notitiam Dei inveniemus: tunc data sapientia, veram agnitionem Dei, timorem & fidem nobis communicabit. Et rectè hoc præceptum ab agnitione Dei orditur: nam cum dicit. Ego sum Dominus Deus tuus; ostendit se esse verum Deum, qui tradito verbo suo voluntatem suam nobis patefecit. Vt autem recta sit notitia Essentiæ divinæ quæ est Spiritualis, omnipotens, æterna: realiter & verèdi-

re distinctas tres Personas te scire oportet. Patrem, qui ab æterno genuit Filium imaginem suam. Filium per quem Pater omnes res condidit, qui est substantialis: humanam naturam unione personali sibi copulans, ut sit noster Redemptor, Mediator & Salvator, Spiritum S. qui ex Patre Filioq; procedit. Causa verò, quare Deus â nobis agnoscẽdus sit; est ne cõmunicata nobis sapientia & justitia eam non amplius impertiatur, tanquam non agnoscentibus ipsum. 2do, ut in omni æternitate celebretur. Et propterea semper notitia DEI plerasq; virtutes secum trahit, ut fidem, invocationem, timorem Dei.

Quantum ad fidem, hæc est salutis nostræ origo et caput, sine quâ nulla virtus placere Deo, sed nec justitia, nec vita æterna accipi aut retineri potest, quod patet in plerisq;, qui nil nisi inane nomen in ore & corde circumferunt,

quibus, & cum fortuna statq; caditq; fides. Hi audiant Paul. Rom. 2. Num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? Dęmones etiam credere certum est, qui anoverunt doctrinam, passionem, mortem, & beneficia Christi: & ideò contremiscunt, homines autem non. Quid, verò dicit. Deque fide certâ sit tibi certa fides: ut justificatus fide pacem habeas erga Deum, quomodo enim notitiam ejus veram habebis, cui & in quem non credes? quomodo in misericordiâ Dei acquiesces, si fiduciam amittes? Vbi dum perit fundamentum, videlicet in mente notitia & assensus, in voluntate ac corde ardens desiderium promissæ misericordiæ Dei: & objectum fidei, omnes scilicet articuli fidei doctrinæ Christianæ, Et cum his promissio misericordiæ Dei & remissio peccatorum non valebit. Assensus enim & fiducia sunt partes Fidei. Objectum

verò

verò eſt eſſentia, & voluntas patefa-ctain Lege & Evangelio; Aſſenſus & Fiducia voluntatis Dei in Evangelio revelatæ notitia, & petens cor remiſſio-nem peccatorum, ad fidem juſtifican-tem refertur.

Voluntas verò Dei in lege, & dolor cordis ortus ex conſpectu iræ Dei ad-verſus peccata, valent ad contritio-nem: interim iſti ſex motus vocantur partes fidei, qui hominis chriſtiani con-verſionem complectũtur & pænitentiã.

Fidem, quæ verſatur circa bona æ-terna, ut credere, articulos fidei veros eſſe, peccatorum remiſſionem, vitam æternam, bona à Deo promiſſa exhibere, vocamus generalem, firmam, & ar-dentem fidem, ut Abrahæ. Heliæ. 3. Reg. 17. Lutheri temporibus Augu-ſtani conventus, vide Auguſt. Conf. in articulis fidei. Fidem, quæ eſt circa corporalia bona, ut Ezechiæ, E-

sai. 37. aliam dicimus, quæ etsi dubitationum fluctibus concutitur, tamen verbo promissionis se sustentat. Hæc fides potest vocari etiam specialis, cum credens verbo applicat sibi promissionem Evangelij, & quod certò propter Christum ei peccata remittantur; ut Mar. 9. Credo sed opem fer Domine diffidentiæ meæ.

Fidei principale objectum est unum, scilicet remissio peccatorum, & quod Deus sit propicius juxta promissionem suam, ut nos rectè Paul. Rom. 1. 4. & Gal 3. docet, insinuans, fidem accipere remissionem peccatorum propter Christum Mediatorem, & Rom, 3. statuimus, fide justificari hominem, sine operibus legis. Hoc ergò objectum si tollis, diffidentiam incurris, & non tribuens Deo laudem veritatis & misericordiæ, desperationem: unde & August: respondentem audi. Mentiris Cain ma-

jor

jor est Dei misericordia, quam omnium peccatorum miseria. Tertullian. in verba Ezech. 33. dicit. Jurat Deus & cupit sibi credi. O beatos quorum causâ jurat Deus! O miserrimos, si nec juranti Deo credimus! Credidit Abraham, & reputatum est ei ad justitiam. David, Manasses, Petrus, horribiliter lapsi, misericordiâ propter Christum rursus recepti.

At proh dolor! multorum hocce tempore propria confidentia virium, sapientia, justitia, fidei objectoq; ejus principali contradicit, quam fiduciam Jer: 17. & Esa. 8. severissimè Deus prohibet. & bene monet Paul. Col. 2. Nemo vos decipiat simulans humilitatem, & religiones angelorum, quæ non vidit, ipso incessu significans elationem animi inflati, admiratione sui & fastu, non tenens caput &c. Vbi Paul. non modo fiduciam, verùm & superbiam talium

ostendit, qui postpositâ humilitate in fide gloriantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.

Superbia enim est sine timore Dei, sine agnitione infirmitatis propriæ, sese admirari & magnificare propter certas dotes, vult propriâ sanctitate, sapientiâ, & viribus confidere, alios despicere, & cum accidunt adversa, irasci Deo, tanquam injustè punienti. Talia sunt hodierna castra Monachorum & sequacium, qui cum Anabaptistis simulant, singulari gestu & vestitu humilitatem, ingenti superbiâ propriæ confidentiæ onusti, de quibus Bernh: volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, divites sine labore. Hos impellit Diabolus, ut discedant â verbo Dei, confidant suis meritis, Dei similitudinem expetendo. Quò enim cæcitas mentis superbum hominem non deducit? Eritis sicut Dii: d est, non consideras

propri-

propriam infirmitatem, nec agnoſcis Deum authorem donorum; dicebat quondam Ajas apud Sophoclem: Quod noſtri errabundi in fide nunc reiterant: Ignavi juvante Deo vincere ſolent: Ego verò etiam ſine Deo hanc gloriam conſequar. At non te extollant cauſæ ſecundæ. Inſolescit Alexander M. propter potentiam; perit Craſſus propter divitias; fœnum ut bos comedit Nabuchodonoſor, propter ſuperbiam. Superbis perſuaſione propriæ juſtitiæ & Sanctitatis, ergo es Phariſæus. Luc. 18. Taceo illos, qui tribus duabusve literis inſoleſcunt, ſcientia enim inflat. Igitur, vide, ſi vis vivere in fide, non ſint tibi curæ res ſecundæ, nam propriâ fiduciâ tuâ, fidei objectum, invocationem, & timorem Dei extinguit. Timor autem Dei, eſt velut cuſtos cæterarum virtutum: quem ſi â te expellis, totum cultum Dei, totam obedientiam Deo

debi-

debitam ſeu juſtitiam univerſalem corrumpis. Timere enim Deum eſt ſervire Deo, vel colere Deum unde

Discite juſtitiam moniti & non temnere divos.

Timor Domini delectat cor. Timor Domini eſt verus cultus Dei. Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum. Vbi verò ſecuritas, ſine timore iræ Dei & judicij Divini, ſine fide & dilectione Dei accedit, ut nunc maxima pars generis humani facit. Vbi ſuperſtitio, trepidans timore ubi non erat timor Pſal. 14. ut violare traditiones ſtultas, veſci carnibus, veſtiri cuculo, idololatriam promovere, homines innocentes & pios perſequi, contemnendo Deum dicere cum Homero Odyſ. 9.

Ne jubeas ſuperos ut ego verear ve colamue.

Nil cyclopes enim Divorum numina curant.

Et: Sed victimas uni Deorum maximo

Ventri

Ventri offero(ut Monachi) Deo signoro cæteros. Vbi jam Timor Dei amittitur, simul & fides: sequitur idololatria, quæ & contrariatur præceptis primæ tabulæ, & pellit rectam & sinceram fidem: ab homine. Idololatria enim est, colere tanquam Deum id, quod non est Deus. Cultum simulachrorum ortum dicunt â filio Beli, Nino, qui patris mortui imagini divinos honores exhibuit: hinc Lyra in sap. cap. 14. scribens, dicit, Nomina Beelzebub, Bel, Baal orta: & quod ante Ethnicis in usu fuit, nunc ad pontificios translatum est, statuas namq; pro numinibus colunt. Panem circumferunt, affirmantes esse Deum, & facientes ex eo Idolum: Sacrosanctum Oleum prout appellant, & crucis lignum honore latriæ, qui cultus soli Deo tribuitur, adorantes: & quæ signa promissioni Evangelij Divinitus addita sunt, hæc in Deos ab impijs conversa.

manent.

manent. Exempli gratia ſic faciunt nunc Pontificii, ac illi Perſæ & Chaldæi, quorum meminit Plutarch. in vitâ Artaxer. & Alexandri. hi finxerunt ignem eſſe Deum: ideo, quia audierant incenſas eſſe victimas igne cælitus de lapſo. cujus idoli fit mentio Geneſ. Mãſitq; apud perſas Ebrea appellatio Orimasda. Igitur quem antiquitus Ethnici cultum felibus, ciconijs, tauris offerebant, quem Palladi, Marti, Jovi: hunc modò in Sanctos contulerunt: nunc Laurentium ignis protectorem, Georgium bellatorem, Iohannem vini ſanctificatorem, Stephanum fœni & avenæ. Apolloniam dentium dominam, Agatham panis conſecratricem, Mariam virginem B. candelarum, Roſarum, & herbarum dicunt. Hinc Petrus Epiſcopos creat, Paulus ſapientiam dat. Iohannes caſtitatem. Andreas jungit matrimonio. Valentinus â morbo liberat. Tho-

rat. Thomas porcos pingues facit, & alia, quæ vix enumerare possem: non nomino Missam quam communem errorem appellamus. Annon alligare Deum ad statuas hoc est? Alligavit ne se ipse suo verbo, ut â procumbentibus ad statuas in loco hoc vel illo magis exaudiretur? Romæ quam Gedani aut Olivę? Jerosolymis vel Loreti, quam Cracoviæ, vel Regiomonti efficax esse posset?

O miseri homines! An propter vestros electitios cultus, quibꝰ sine verbo Dei confiditis, Deus benefaciens, erit vobis propitius? Missæne, Jejunia, Ceremoniæ, opera Monastica & similia, quæ sunt sine verbo Dei, & fundamento, vobis proderunt? Verba Prophetarum & Apostolorum traditones rejicitis, & fictis opinionibus vestris cultu divino immutato adhæretis? Affectus credite Salomonis in vobis regnat,

gnat, idola admittit, & ad ethnicismum adducit. Audite Thomam vestrum Angelicum doctorem de Aquino qui 3. Part. quæst: 62. Art. 5. dicit: Christus redemit nos â peccatis nostris, præcipuè per passionem, non modo efficienter, & meritoriè, verùm etiam satisfactoriè, offerens semetipsum oblationem Deo. Quod si sic. Cur non Christo Jesu, & doctrinæ ejus vos adjungitis? Neq; enim Elias, neq; Thekla, neq; Johannes est invocandus, ne dominetur nobis error, quo amitteremus viventem. Sed nunquid adorabimus creaturam, postposito creatore? dicit Epiphan. Hæres. 79. Nunquam successus boni superstitiosórum, verùm atroces pœnæ recensentur. Imperia propter Idololatriam mutãtur, ut & in excidio Hierosolimitano, & aliorum regnorum perspicuum est: est enim maledictum, est convicium, est coutumelia adversus Deum. Quam super-

superstitionẽ quicunq; verus Christianus evitare vult, primum præceptum Dei in memoriâ habeat, impium fœdus cum Diabolo ne ineat, nec se in ejus potestatem tradat, ut certis cerẹmoniis ab eô res optatas consequatur. Agnoscat Deum factorem suum, in fide ac timore DEo adhæreat, & omnem superbiæ fastum abhorreat, ne sit idololatra.

Secundum Præceptum.

Non assumes nomen Domini DEi tui in vanum: Nec enim habebit Deus insontem eum, qui assumpserit nomen DEi frustra.

Summa hujus præcepti.

Motus cordis nostri qualis esse debeat, monemur, & qualis oratio nostra in invocatione & confessione, ne scilicet nomen DEi in vanum jure jurando assumamus.

Quoad primum: Invocatio, quæ ad

verum DEum directa est, prout datâ promissione de Christo primis patribus se DEus patefecit, certò statuit nos exaudiri, & bona optata impetrare juxta promissionem Evangelii per missum Filium. Quare, cum Turcæ & Judæi jactitent, se compellare & invocare Deum conditorem, mox annihilant suas preces, quia non credunt verbo ejus, & filio pro nobis crucifixo. Justificati namq; fide pacem habemus erga DEum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem etiam accessum habemus fide, Rom: 6. Ideo, dum mandatum Dei præcipit invocationem, ostendit, preces nostras placere DEo propter Christum, & certò exaudiri, ut testatur Paulus Gal: 4. misit spiritum filij sui in corda nostra clamantem: Abba pater, & Joh: 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Petenda a. sunt & invocanda bona spiri-

ſpiritualia, i. e. Spiritus S. regimen, & peccatorum remiſſio. Petenda corporalia: ut victus, valetudo, pax. &c:

Et hæc precatio ideò debet eſſe, ut ſcilicet debitum honorem Deo tribuamus, qui nobis in noſtris miſeriis opem fert, liberans nos à peccatis animæ & corporis; & ut gloria Dei celebretur, & Eccleſia ſervetur; ut fides piorum confirmetur, & blaſphemi refutentur. In precatione autem, quæ eſt pars invocationis, neceſſe eſt ſemper prælucere fidem, quæ & ſtatuit nos à Deo diligi, & accipit remiſſionem peccatorum.

Bona enm corporalia dum petimus, tametſi nobis promittuntur, ſemper avel raro abſq; exceptione crucis & caſtigationis, ut patet in Jacobo, ne à fratre Eſavo opprimatur: Propterea etiam adiacentia invocationis ſunt fides & patientia.

Differt enim DEus exauditionem

aliquando, ut ſidem & invocationem in nobis ardentiorem augeat, & ut conſtantiam noſtram exploret.

Invocationi divinæ contrariatur omnis invocatio, quæ eſt extra Deum, ut in Ethnicis, Judęis, & invocatione hominum mortuorum patet: ut in Socini diſcipulis, qui in lapide offenſionis Chriſto Jeſu offenduntur: Nam qui Chriſtum non habet, nec Patrem habet. Deo enim, niſi in hâc arâ, gratæ offeruntur victimæ: Et cum invocatio & adoratio ſint Synonyma, ſiquidem eadem requiſita, easdem cauſas, eandem materiam circa quam habent; Ergo non meræ creaturæ invocatio, ſed DEo exhiberi debet; prout enim una fides eſt, ſic & unus cultus proprius, competens ſoli Deo: Fictitius namq; cultus invocationis non pertinet ad tabulam primam, quia prima tabula duas ſpecies habet: Ergo tot Dij eſſent, & per conſe-

consequens colendi. Certè error affinis ethnicismo, qui majores & minores Deos constituit.

Hinc confunditur invocatio Sanctorum, cujus fundamentum est Canonisatio Papæ, qui cum in Canonisatione potest errare, prout ipsimet Pontificij statuunt, ideo vacillabit fides eorum cum lubrico suo fundamento: Nam certos reddere fide Divinâ nemo eos de verâ Canonisatione audebit. Transeo miracula SS., quorum admiratio in vanam divinitatis spem atq; sententiam improvidas hominum animas impulit, quorum plurima fallacia, incerta, ac dubia sunt, prout ipsimet Pontificij testantur. Fatetur Melchior Canus id disertè scribens: Negare non possumus, viros aliquando gravissimos, in divorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis ad posteros retulisse

Et alibi: Ecclesiæ Christi vehementer incommodant, qui res divorum præclarè gestas non se putant egregiè exposituros, nisi eas fictis revelationibus & miraculis adornarint. pag. 537. Et ideo Durandus Episcopus Mimatensis: Memoriam sanctorum confessorum venerari in Ecclesia post tempus S. Sylvestri dicit libro. 4. c. 28.

Sed redeo ad manifestas contradictiones S.S. Scripturæ per invocationem Sanctorum. Eckius enim fatetur non fuisse præceptam veneratione͂ S.S. in Evangelio. Bellarminus verò probat, quem plurimi alij sequntur, distinguentes mediatorem principalem & secundarium, vel minus principalem: Et cum hæc distinctio ignota toti Scripturæ sit, unum mediatorem statuens, ergo figmentis eorũ difficilis fides. Nam scientiam quidem habere Sanctos concedimus; Sciunt enim nostra generaliter

ter, & non specialiter: Omniscientiam verò in iis negamus. Sanctorum ergo invocationis cultum divinæ legi contraire certissimum est, etsi origenem in threnis nonnulli pro invocatione SS. citent, quem Baron. Tom. 3. ad annum 253. Origenis librum non esse affirmat. Nos postpositis eorum corruptelis, & Diis, in quibus habent fiduciam, de quorum victimis comedunt adipes, & bibunt vinum libaminum, invocemus & adoremus eum, cui Pater in manus judicium dedit: confiteamurq; veram Evangelij doctrinam constanter, cum perpetua voluntate coram DEo & hominibus, ne vera Dei notitia in nobis exstinguatur, ne levitatis exemplum in nobis appareat, prout in Juliano apostata deficiente ad ethnicos, & Eccobulo Rhetore in Tripart: Histor: lib. 6. c. 38 patet: prout etiam hac ætate nostrâ exempla levissima in magni nomi-

nis viris quoad fidem & con fessionem eorum videmus, ut non attendere velint verbis Apollinaris: ubi non est veritas Christi, non est veritas: Nam non martyrium facit martyrem, sed causa, dicit Cyprianus.

Videamus jam, quomodo invocatio sit etiam pars juramenti. Juramentum enim, dicit Isocrates, â Magistratu impositum est propter duas causas, aut ut teipsum turpi crimine liberes, aut ut amicos ex periculis serves. Igitur, dum quis jurat, invocat quidem Deum, sed prout Deus citatur testis dictorum. Per juramentum fiunt imprecationes, quibus nos fallentes ad pœnam obligamus. Pausanias in arcadicis ait, Philippi Regis Macedoniæ liberos ideò incidisse in tantas calamitates, quia pacta & juramenta omnia promissa conculcaverit. Vnde benè Homerus:

Quod si continuò Deus haud per-
(juria plectit,
Attamen id tandem faciet, quo
(maxima pœna,
In caput authoris, sociam, natosq;
(redundet.

Videant itaq; hîc vota sua impia Sacerdotes & Monachi: videant magistratus & mercatores perjuria, quibus eorum tota vita plena est. Vtrum non puniet Deus sui nominis contumeliam, quod ad stabilienda mendacia transfertur, & quanquam differt pœnas, sed tarditatē gravitate compēsat:

Sera tamen tacitis pœna venit
pedibus.

Jurare quidem pijs licet, sed per expressa testimonia, ut Deut: 6. & 10. Dominum Deum adorabis, illi soli servies, & per nomen illius jurabis; & Jerem: 12. Jurabunt, vivit Dominus, & non in Baal. Forma juramenti in lib: Reg.

ſæpius repetitur: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat. Omnis enim controverſiæ finis eſt jusjurandum Hebr: 6. Quare ubi non eſt mandatum Dei, & magiſtratûs. Prohibet lex ibi non jurandum. Non modo enim formæ jurandi per cœlum, terram, creaturas præſcinduntur, ut Matth.6. verùm ut tam veritas confirmetur & Deo debitus honor præſtetur, ut Deut: 10. Jurabis per nomen Dei tui. & non per nomen Deorum alienorum. Interim ut poſteritas tua felicior maneat, ac viri veracis, ſerva juramentum, nec ſis in impia pertinacia hominum, & erroribus palam blaſphemis: Et ſic obſervabis ſecundum præceptum. Sophiſticæ enim interpretationes juramentorum, calumnioſa periuria, & iniqua juramenta ſemper contrariantur Dei præcepto.

Tertium

Tertium Præceptum.

Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.

Summa hujus Præcepti.

Pia obſervatio feſtorum nobis proponitur ſimul & diligentia auditorum cum reverentiâ miniſtrorum in vera prædicatione laborantium, deniq; perſeverantia in agnitione Dei.

Quoad religioſam dierum obſervationem nusquam nos eſſe adſtrictos, tàm ex N.T. quàm Scripturis & Apoſtolis, patet ex verbis Apoſtoli Rom.14. libertati chriſtianæ relictum eſſe novimus peræq; diem quemvis æſtimare, & Coloſſ. 2. nec quenquã damnandũ reſpectu diei feſti, aut novilunij, aut Sabbathi. Socrates lib. 5. Eccle. hiſtor. nec uſpiam vel Evangelia vel Apoſtolus jugum ſervitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: Sed Paſchatos fe-

tos festum, & alios festos dies ipsi homines suis quisq; locis, propter remissionem laborum, & memoriam passionis, sicuti voluerunt, ex consvetudine quadam celebrarunt, neq; Servator, neque Apostoli hoc nobis lege aliquâ observandum esse mandarunt, neque pœnam, sicuti lex Mosaica Judæis comminatur. Scopus namq; fuit Apostolis non legem ferre de diebus festis, sed ad vitam rectam & pietatem homines traducere. Hinc videndum, quomodo ex libertate Christiana solennitates festorum receptæ sint.

Et cum ignavis semper sint feriæ, Concil. Trident. & Constan: propterea festa statuta dicit, ut opem & auxilium SS. suppliciter invocemus, ad ipsos confugiamus, ipsorumq; altaribus & statuis genua flectamus. Quod si sic; Vbi jam libertas Christiana? Vbi, Chrys. verba homil. 16. ex variis in

Matth.

Matth. locis & homil. de profectu Evangelij, ad Deum janitoribus, intercessoribus & patronis non indigemus, &, August. lib. 22. de civit. Dei, ethnici Diis suis templa, altaria, & victimas offerebant, nos verò martyrum memoriam, ut hominibus in Domino mortuis, in honorem agimus. Et lib. 8. c. 27. recolimus memoriam Sanctorum prout Sanctorum Dei, qui usq; ad mortem veritatis defensores extiterunt, & hoc ideo facimus, ut Deo gratias agamus, vitamq; nostram eorum imitationi conformemus. Quare benè Origenes, cui ducentis annis ante, hoc fuit ignotum, lib. 3. in Jobum dicit: Festa SS. ac memoriam agimus tàm parentum nostrorum, quàm consangvineorum devotè, partim ex eorum refrigerio gaudendo, partim eundem finem optando. Concil: 2. Nicœnum Act. 6., cui aderant Amphilochius Episcopus Iconensi-

nensis, & Theodorus Episcopus Anciranensis, nec non Concil. Constant. 7. decreto munivit, ne statuas, altaria, audeat aliquis in honorem Sanctorum facere, aliàs tanquam blasphemus habeatur.

Quare errorem suum adversarij videant, num verbo Dei & sibiipsis contrarientur. Dicunt quidem concilia errare non posse; Si sic: Quare contrariatur unum alteri: Contrariatur patribus; Nazianzeno orat: in Gorgoniam; eidem orat: in Basil. Origeni in cap. 13. Josuæ; Basilio cap. 40. Cyrillo lib. 4. Thes: c. 1. Athan. herm. 4. cont. Arianos. Tertull. in Apolog. c. 30. Ambros. in Epist. Rom. c. 1. Contrariantur Scripturæ Deut: 6. 13. Esai. 42. Actor. 10. Ps. 20. & 115. v. 5. O idololatræ Baal, quorum Deus dormit.

Non igitur festa in honorem sanctorum constituenda, sed in honorem

Dei

Dei, quod expressè Exod. 20. Scriptura insinuat: Sabbathum Domini Dei tui est, non sabbathum Mariæ, Petri. &c. vel Abel sancti; & Levit: 26. Sabbatha mea custodite, non Esaiæ, Jeremiæ. Nam antiquitas illa, non festifitates sed memoriam sanctorum recolebat. Stemus igitur in libertate nostra Christianâ, & superstitioni ac idololatriæ locum in nobis ne demus. Hæc enim libertas est beneficium nostrum spirituale, in Evangelio oblatum, & per Christum partum, quo non modò à traditionibus humanis, conscientiam gravantibus, à legibus Mosaicis; verùm etiam à jure peccati, legis dominio, irâ Dei, maledictione ac morte æternâ liberati sumus: Et ut à rigore talis libertatis, quâ licentia agendi, quicquid libet, datur, eruamur. renovationem Spiritus S. inchoantis in nobis novam obedientiam quæramus.

His

His visis, ad observationem piam diei sancti requiruntur ceremoniæ institutæ, ut sint externæ significationes, per quas innotescat aliis doctrina de Deo & augeant reverentiam religionis. Ideo enim diem Sabbathi Deus ipse ordinavit, ut certo tempore de Deo, & doctrina Christiana in publicis cœtibus homines doceantur; & ut Israelitæ ad tabernaculum conveniebant: Sic & nunc necesse est locum aliquem esse certum, in quô Ecclesia conveniat, in quo discrimina docentium, tempora lectionum, & administratio Sacramentorum constituatur, ut & Paulus 1.Cor.4. docet. Interim discrimen rituum observandum. Alij enim sunt divinitùs mandati: ut ritus Mosaici, qui congressuum in Ecclesiâ publicorum erant nervi, & beneficiorum Christi typi; In Novo verò T. ritus Sacramentorum Baptismi & cænæ Domini,

qui non modò sunt vincula publici ministerij, verum & sigilla Evangelij Dei.

Ritus verò alij sunt, qui humanâ autoritate in Ecclesiam sunt introducti, & hi sunt aut propter bonum ordinem, ut Epiphanius ait, & disciplinam, aut propter impietatem pugnantē cum verbo Dei, ut circumgestatio panis, Missæ pro mortuis, ad statuas, rosaria concursus.

Ceremoniæ, seu ritus V. T. pleræque Christum præfigurabant: vocabantur autem Typicæ, habentes expiationem veram peccatorum, & de his Hebr. 10. umbram lex habet futurorum bonorum: Nam iis immundi politicè sanctificabantur, ut purgati iterum Ecclesiæ cœtui admitterentur, quas Hebr: 9. vocat. Sanctificationes ad emundationem carnis: Hæ ceremoniæ ad V. T. partinebant, quarun ob-

servatu nequaquam homines conseque-bantur vitam æternam, quia nemo illo-rum legem præsertim moralem perfe-ctè observavit, ut Actor: 15. Propte-rea etiam lex Hebr. 7. onus & jugum, quod neq́ patres, neq́ Judæi unquam portare potuerunt, appellatur: Sed neq́ externam disciplinam in lege & Testamento servarunt, unde & mul-toties de iis conqueritur Dominus.

Has Ceremonias nunc abrogavit Ecclesia, ideo, quia typi fuêre Christi, & leges forenses populo tantùm Israeli-tico latæ. Politia verò hæc nisi ad tem-pora Messiæ duratura erat, &, corpore adveniente, tanquam umbra sacra ista evanuerunt.

Idcirco nunc abrogatus est decalo-gus credentibus in Christum, ratione condemnationis & justificationis, quia nec justificat, nec damnat, ut Rom. 8, sed non ratione observationis, debito-

res

res etenim sumus. Quare videant illi, qui ritus & Ceremonias non modo Judaicas, verum & Ethnicas introducũt in Ecclesiam, quam graviter errent & peccent.

Nostræ verò Ceremoniæ sunt, applicatio beneficiorum Dei in N. T.; Primo per ministerium verbi, quod quasi aspergillum est: Sicut Moises hyssopo & lanâ sanguinem aspersit populo, ut capax esset & particeps testamenti, & beneficiorum ejus: Sic nos usu Sacramentorum. In Baptismo enim quemadmodum corpus aquâ abluitur, sic sanguine Christi à peccatorum sordibus mundamur. Pronunciat enim Christus calicem cœnæ suæ sacræ novum testamentum in suo sanguine, qui in remissionem peccatorum pro multis effunditur, non ut Pontificij Missæ sacrificium aliis applicant delirando. Secundò applicantur nobis beneficia N.T.

per fidem propriam, quâ & vivimus; modone per incredulitatem & inobedientiam, quæ indignos nos reddet, ea abijciamus. Per incredulitatem, dum non credimus. Per inobedientiam, dum verbi Dei doctoribus non obtemperamus. Paulus verò monet 1. Tess. 5. eos, qui præsunt, diligite excellenter propter ministerium eorum, & pacem erga eos tuemini: Nam qui vos audit, me audit, Luc. 10. Tales cum legatione Dei fungantur, duplici honore digni habentur 1. Tim. 5. Dignus enim est operarius mercede Matth. 10.

Perseveremus igitur in verâ Dei agnitione, & celebrantes Sabbatha nostra constanter, in libertate Christiana: rogemus Spiritum S., qui confirmet mentem & voluntatem nostram, ne vel Diaboli insidiis, vel naturali pravitate, vel ærumnis à fide in Christum excutiamur, Christus orat pronobis

bis ne deficiat fides nostra Luc. 22. qui est fidelis, nec sinit nos tentari supra vires 1. Cor. 10 Et qui perseveraverit usq; ad finem, hic salvus erit Matth. 24. Faxit Deus, ut in spe & fortitudine, in pulchritudine pacis celebremus Sabbatha nostra. Faxit, inquam, ille, qui per filium suum unigenitum devictâ morte nobis aditum reseravit, ut conservatâ familiæ suæ progenie per adoptionis Spiritum, mente & corpore renovatis, perfectam libertatem largiatur, & vitam æternam. Amen.

TABVLA SECVNDA.

In justificationibus tuis Domine meditabor, nec obliviscar sermones tuos. Psal. 118. v. 16.

Quartum Preceptum.

Honora patrem & matrem, ut sis longævus super terram.

Summa hujus præcepti.

Hoc præceptum docet officium parentum & liberorum: docet gratitudinem, reverentiam & pietatem: Docet honorem magistratui & judicibus, & necessarias simul virtutes.

Explicatio.

Sciendum in Decalogo præcepta alia esse absoluta, ut fides, timor Dei, invocatio, quæ privatā cordis obediētiā flagitāt: Alia relativa, quæ extra hominū societatem exerceri non possunt, & versantur circa personas certas.

Hoc

Hoc ergo præceptum, quia non eſt privatum, ſed relativum: nam concernit perſonas ſuperiores, quæ præſũt, & inferiores, quæ parẽt. Igitur ad declarandum hoc membrum, vocabulum honoris, qui tàm Parentibus, quàm magiſtratui ſeu Iudicibus debetur, diſcutiamus. Honos eſt vel propter divinum aliquod bonum, vel merita, virtutem, ſapientiam comprobatio alterius, tribuens ei præſtantiam & reverentiam: Reverentia enim eſt amans politicum & œconomicum ordinem, ſubÿciens ſe ei, & perſonis in eo, prædicans dona Dei: Hinc ſequitur æquitas in legibus & candor.

Quantum ad honorem parentum, in pietate liberorum duo eſſe debent: Voluntas, & cor obtemperans: Hæc duo ſunt ſeminarium Eccleſiæ Dei & politiæ, vincula amoris, inter parentes & liberos, totiusq́ ſocietatis œconomi-

cæ. Pietas enim eſt fundamentum omniū virtutum politicarum, ut Cicero in Plancio: cui annexa eſt promiſſio, ut ſis longævus ſuper terram: Et benè Euripides:

Quisquis parentes hîc piè vivens, (colit,
Hunc viventemq; mortuumq; (amat Deus.

Impietas liberorum oritur ſæpius ex indulgentia parentum: Nam.

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos. Patet in Eli. 1. Reg. 2. Tullia conjunx Tarquinij carpentum agit per cadaver interfecti patris. Abſolon David ex domo & regno ejicit. Tiberius Imperator impius contra matrem, uxorem & filios. Non ſic monet Eccleſ. c. 3. Qui timet Dominum, honorat parentes, qui ſe genuerunt, honorat opere, ſermone & patientiâ: Nil enim parentibus jucundius poteſt eſſe, nil

nil voluptate & ornamento, ut Epaminondas dixit: se hunc præcipuum suorum laborum fructum capere, quod parentes suæ gloriæ spectatores haberet: Hinc gratitudo debita, ut in filiâ Cimonis patrem fame necandum, uberibus alente: Hinc amor & reverentia, ut in duobus juvenibus Amphinomo & Astapo patet: Nam cum Æthna ignem ejecisset in urbem Catanam, alij opes efferebant relictis parentibus:

Illis divitiæ solæ materq; paterq;,
Hanc rapiunt prædam mediumque exire per ignem.

ut virigilus habet.

Vtinam modernis temporiqus talia exempla videre liceret, & non pejora Tiberio, Absalone, Tulliâ: Ne autem corruptela hæc nascatur, sciant parentes, vindictam à Deo brevi affuturam iis, si per assvefactionem, admonitiones, honestam morum gubernationem,

tempestivas castigationes, exercitia disciplinæ: non adjungũt liberos culturæ bonarum artium, agnitioni Dei, gubernationi Reipub:, honestæ vitæ, & victui parando: Propterea voluntatem & cor obediens vocamus vinculum societatis humanæ, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usq; in seculum.

Et cum sub hocce præcepto non modo honos & officia parentum & liberorum, verum etiam honos magistratui debitus, officiumq; ejus contineatur. Sciendum est, magistratum esse custodem pacis, defendentem corpora contra injustam violentiam, latrociniis & hostibus depulsis: Unde Alphonsi Regis symbolum erat Pelicanus, rostro eliciens ex pectore sangvinem ad pullos pascendos, cum hac inscriptione: Pro Lege et Pro Grege: *Officiũ enim magistratus tale esse debet erga Subditos, ac pa-*

tos, ac parentũ erga filios Verũ quidẽ Plato 4. de legibus dixit: Vbi non Deus ſed mortalis aliqvis regit, non eſt malorum & ærumnarum refugium. At juxta Ciceronem, gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: Sic moderatori Reipub: beata civium propoſita eſt vita, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta & veræ Eccleſiæ Dei hoſpitium ſit.

Judices igitur & magiſtratus debent eſſe cuſtos decalogi, ſonans vocem legis moralis, tanqvam vicarius Dei, & regens ſubditos qvantum ad externam diſciplinam attinet. Sic fovens Eccleſiam Dei, tollat impios cultus, prohibeat blaſphemias, cuſtodiat ſuas leges poſitivas, exerceat judicia: Non enim fruſtra gladium Dei gerit, ſed Dei miniſter eſt; nulla qvippe eſt utilitas civitatis, quæ non habeat nervos adverſus

ſus delinqventes. Inde ubiq; ſunt Judices, qvi cognitâ cauſâ & exploratâ, pronunciant, cujus cauſa juſta ſit & quâ pœnâ ſontes pro delictorum qvantitate afficiendi, qui ideo conſtituuntur, ut pax publica conſervetur per compoſitam juſtitiam in controverſiis, & ut ſit publicum exercitium diſciplinæ, per quod commonefiamus de Dei judicio, quod & in hac vitâ declarat.

Judex non corruptus metu, favore vel odio eſſe debet, diligens in cognoſcendâ cauſa, ut Phocylides inquit:

Judicium non fer, ſi non ſint ambo
locuti,

Et Deut. 17. Audiens inquiras diligenter: Ideo Plato in Lachete dicit: Ex ſcientia oportet judicare non ex multitudine; & alibi:

Judicis officium noli committere
ſtultis.

Æqualitatem ergò Deus à judicibus

ex igit.

exigit, prout ipſum æqualem eſſe erga omnes nos, æqualiter ſe habentes, agnoſcimus.
Judici autem, ſi ſcientia eſt neceſſaria, non minus & virtus, ut Ovidius:

Sic petitur cenſura, & ſic exem-
(pla parantur,
Cum judex, alios quod mo-
(net, ipſe facit.

Quę exempla virtutum neceſſaria judicibus recitantur Deut: 17 2. Paralipp: 19. Exod. 23. Et hæc quoad quartum præceptum pubi honorem tàm parentum, quàm magiſtratus & eorum, qui nobis præſunt, vidimus.

Quintum Præceptum.

Non Occides.

Summa hujus Præcepti.

Cum per ſe ſit evidens hoc præceptum, quod non modo opere perpetrandum interdicitur; verum corde & ore; ideo

virtutes huic nonnullas opponemus, præsertim misericordiam, justitiam & candorem.

Voluntas divina, quæ vult conservationem speciei naturæ humanæ absque cædibus, turbationibus, & coeteris reprehensionibus habere: eadem frenis laxatis injuriisque polluta contradicit, & hoc est, quod pugnat cum præcepto, nec præstare Deo obedientiam permittit: Vnde prout æqualitas mutua conservat civitates, sic injuria dispergit: Nam injuria est, quæ vel vi, vel desertione, vel fraude, alterius corpus, famam, vel bona sine justá causâ lædit: Hinc petulantia oritur, quæ quasi pro delectamento habet, aliis damnum dare, sine ullo respectu judicii, metus, infamiæ, propriæ conscientiæ, nocendo. Interim justitia Dei, cujus norma æterna & immota est, justos conservare, & injustos delere, ut dicitur:

Vin-

Vindicibus flammis ſibi qui contraria delet,
Ipſeq́; Juſtitiæ regula ſola manet

vult conſpici in pœnis diſcrimen virtutum & vitiorum, mandatum dat Deut : 19. Auferes malũ de medio tui, quod & Jeremias c. 36. inſinuat, dum jubet ſcribi comminationes pœnarum, ut audiente domo Juda, revertatur unus quisq; a via ſua peſſima. Percutiet eos Dominus plagâ, ut revertantur ad Dominum, dicit Eſai. 19. Niſi enim compeſcerentur cædes, furta, citò diſſiparetur ſocietas generis humani: Propterea etiã vult Deus puniri homines, non ut in æternum pereant: ſed ut ad moniti pœnis de ſuo peccato agant pœnitentiam, & ad Deum convertantur. Si enim quid tale eſt in corpore, quod reliquo noceat, uri ac ſecari patimur, ut non totum corpus pereat, verum membrorum aliquod: Sic Rempub:

Deus

Deus vult, ut tota ſalva ſit, & quid peſtiferum amputetur.

Occurrens huic malo eſt juſtitia, quâ magiſtratus externis ſceleribus pollutos pro delicti qualitate punit, ne malis exemplis ſceleratorum alij ſaniores depraventur.

Ad temperandam igitur & mortificandam naturam noſtram opponitur huic vitio virtus, manſvetudo ſcilicet ſeu miſericordia: Manſvetudo enim moderatur iracundiam, remittit offenſas, condonat injurias, publicæ concordiæ cauſâ, ut dicitur: Amici mores noveris, non oderis. Hæc virtus à Spiritu S. accenditur in mente ad cogitandum mandatũ divinũ, prout Matth. 5. Sic pater veſter vobis remittet, ſi unus quisq; veſtrum remiſerit fratri ſuo. Ita Baſilius cedit Epiſcopo Euſebio, ne Eccleſiam Cæſarienſem turbet. Scipio cedit Tribunis, ne patriam bello civili implicet.

Ergo

Ergo consulamus privatæ quieti, quæ multipliciter litibus & rixis læditur, prout quotidianæ querelæ testantur litigantium, quorum causa magno sumptu aluntur causidici, magis ad extrahendas lites, & pecuniam emulgendam, quam ad pacem instruendam, & tandem post multos etiam annos obtinetur sententia: Cui puncto arridet Hesiodi dictum: Dimidium est plus toto. Litigantium causas pulchrè veteres his versibus exornarunt:

Hoc scio pro certo, quod si cum stercore certo,
Vinco vel vincor, semper ego maculor.

Illustria satis exempla mansvetudinis habemus. David parcit Sauli 1. Reg. 24, Christus Matth. inquit, 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Scribit Nauclerus de Conrado Imperatore, qui vafro consilio nobiliũ

matronarum & conjugis Guelfi, parcit Guelfo duci Bavariæ. Verum, ubi mulieribus permissum est, ut ex arce discederent, quantum quæque gestare posset, ferentes, ipsæ liberos & maritos in humeris asportabant.

Pericles jubet deduci eũ cum Lichno, *à quo convitiis proscissus fuerat, in foro per totum diem.* Xenophon Cyri prędicat clementiam, *qui nõ modò nihil sævum & crudele in imperio fecit; verùm nec verbum asperius protulit. Nihil enim est, quod Imperatorem magis commendat, quam clementia. Hæc Cæsarem* Deum *facit, hæc Augustum consecravit. Antonius M. apud Volcatium scribit: Quare ut umbra corpus comitatur; sic virtutem ac gloriam semper comitatur livor & invidia, cui nullum est præstantius remedium, quam timor & invocatio Dei, ut dicitur:*

Pascere

Pascere livor iners odio, saturare (furore,
Mors tua, recta Deum facta (colentis, erunt.

Vnde rectè Thrasybulus recuperatâ patriâ & dissipatis exulum bonis sancivit oblivionem injuriarum, apud Xenoph lib. 2. Et ideo oculi, manus, pedes bini sunt conditi, ut conjuncti se adjuvent, non impediant: Sic decet fratres, & collegas animos, consilia & actiones conferre. Quare monet Paulus 1. Cor. 2. Obsecro vos per Dominum nostrum Jesum Christum, ut sitis concordes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus eadem mente, eadem sententia.

Huc etiam spectat amicitia cum fidelitate & candore, quæ est mutua benevolentia, & animorum copulatio & conjunctio. De hac Lælium Ciceronis

vide, & in Philippi Ethicis methodicam explicationem, quæ.

emollit mores nec ſinit eſſe feros.

Et hæc quoad quintum Præceptum.

Sextum Præceptum.

Non mæchaberis.

Summa hujus Præcepti.

Hortatur nos hoc præceptum ad verecundiam, pudicitiam ſeu caſtitatem ſervandam, temperantiã præſcribens.

Vitam cælibem & mundiciem animi ſine contaminatione corporum, commixtione, impudicis cogitationibus, & incendiis libidinum retinere, puritatis angelicæ eſt; cum inter homines mundicies cælibis vitæ nulla ſit, aut certè rariſſima. Nam conſilio Dei mirabili ita conditi ſunt, ut fœcundi eſſent: Ideo leviſſimâ occaſione cælibes incauti in fœdos lapſus à Diabolo conijciuntur, & conſcientiâ vulneratâ in

æternum exitium præcipitantur. Svavissimum extat Ignatij dictum: Virginitatis jugum nemini imponito. Periculosa enim ejus est possessio & difficulter custodiri potest, quando conctis imperatur. Junioribus concede conjugium, priusquam consvetudine meretricum corrumpantur. Hinc adversus ista mala, & pericula vitanda institutum est conjugium, & castitas conjugalis, ut Hebr. 13. honorabile sit conjugium in omnibus, & thorus castus & impollutus, & 1. Thess: 4. Hæc est voluntas Dei, castitas & sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione & unusquisq; corpus suum uni conjugi castum & sanctum servet: Inde patet, si mens humana cogitans mandatum Dei est, erit & intenta advitandas lapsuum occasiones, obtemperans Spiritui S. moventi: reprimenti libidinum incendia, & casti pudoris decus retinenti.

Vt autem in nobis ſit gratia Spiritus S[ti]*, ſectemur caſtitatem, ſine qua nemo Deum videbit Hebr. 13. Omnis enim ſcortator & immundus non habebit hæreditatem in regno Dei 1. Cor. 6.*

Et ne noſtram confeſſionem & Eccleſiam, in qua vivimus, ſcandalis deformemus, & maledicendi occaſionem, ut David ſuâ libidine, vicinis præbeamus, vitemus pœnas publicas, quarum ſæpiſſimè cauſæ libidines fuerunt, ut Paridis adulterium, & alia. Sequamur verò admonitionem Sacræ ſcripturæ, memorabilia facta etiam ob oculos ethnicorum habendo. Plutarchus ſcribit, Alexandrum Darij uxorem nec velle aſpicere. Scipio continet ſe à captivâ Allucij ſponſâ: Livius decad. 3. lib. 6. Pauſanias abſtinet ſe à captivâ Coâ. Herod. lib. 9. Julianus Imperator à Marcellino in caſtitate celebratur. In Romano jure lex Julia coërcebat

bat adulteria ut lib. 48. Pandectarum. Imperator Macrinus semper vivos, junctis simul corporibus, adulterij reos cremabat.

Sed proh dolor! quot recentia exempla vides, qui cum Absolon consanguinitatis & affinitatis gradus maculant, qui stupra, incestus, illicitasq; flammas amoris exercent: Et benè Plato dicit: Pudor & justitia sunt civitatum vincula, ornamenta, & amicitiæ conciliatrices: Ubi autem pudor abest, ibi horrenda turpitudinum flamma prodit, contemptus Dei, impudentia, quæ est dux ad omnia scelera.

Venerea hæc lues quàm longè lateq; regnet; non parcens civitatibus, in palatiis & aulis dominatur: maculans thoros castos, corrumpit virgines; seducens adolescentes, non parcit senibus; monasteriis imperans, monialibus subsusurrat; Episcopos regens, sacer-

dotes oblectat; demum quemq; hominem incautè invadens, virgines titulo, maritatos conjugio, adolescentes simulato pudore condecorat. Taceo in Monasteriis simulatam castitatem Monachorum ac monialium, qui extra honestum & rectum, non credentes verbo; Non est bonum hominem solum, se juramentis violabilibus obstringunt: quorum simulatæ castitati, etiamsi, ut Origenes, pudenda sibi exscinderent, non crederemus, ut Euseb. de eo lib. 9. narrat. Quid enim juvat virginem quidem carne, at corruptâ mente vivere? August. in Psalm: 75. Castitatem enim singulare Dei donum dicimus, ut Sap: 8. et non possum esse continens, nisi Deus dederit. Verum non omnes percipiunt verba hæc, sed quibus datum est. Matth. 19. Contrariatur August. lib. 6. c. 11. Confess. votis extra vires, dicens. Non intellexerã
con-

continentiam esse propriarum virium, ignarus illius, quod scriptum: Non possum esse continens.

Hieron. in cap. 19. Matth. dicit: Quilibet consideret vires suas, si adimplere potest mandatum Dei. Nonnulli enim hæreticæ prolis fingunt castitatem, in verum devotionis figmentum. Quare Clemens lib. 3. constit: Apost: c. 1. Deliberatè, & cum judicio mandat vota facienda: Coacta enim virginitas admittit obscœna. Tertull.

Ad castitatem virginalem neminem hominum Spiritus S. tam in V. quam in N. T. obligat, ut ex Augustino patet, sed voluntati ejus, qui donum continentiæ habet, relinquit: Ideo & Matth. 19. dicitur, qui potest capere, capiat, & Paul. 1. Cor. 7. de virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do. Ibidem. Non illaqueando vos: cõcludit. Quod Ambros.

exponit lib. 1. de virginitate: *Si doctor omnium gentium præceptum de virginibus non habuit, quis illud habere potest? Nemini enim præcipere possumus servare virginitatem, sed optare. Virginitas enim non ex præcepto, sed ex consilio est.* August: de bono conjug: c. 23. propterea, dum Paulus non illaqueando vos, scilicet non cogendo, dicit. Euseb. lib. 4. c. 22. refert: *A Dionysio Episcopus quidam graviter monebatur, ne imponeret jugum fratribus suis, & exigeret ab iis vota castitatis.* Propterea concil: 6. Constant: distinct: 31. Can: Quoniam: interdicit castitatis votum exigendum ab ordinatis ad sacerdotium, quod comprobat Concilium Ancyranum Can: 10.

Similiter juramentum Castitatis seu votum his, qui non sunt in annis discretionis, seu, ut dicimus, pubertatis, omnino non vult admittendum; imo

imo seriò interdicit Concil: Agatense can: 19. Cæsaraugustanũ verò Can: 8. ante 40. annos vota interdicit. Concil: Rom: Can: 10. sub Sylvestro votum virginitatis ad annum 72. movet. Gregor: lib. 3. epist: 11. neq; cuculo indui, neq; vovere virginem vult ante annum 60. At nunc quid sunt vota nostrorum Pontificiorum? Quid monasteria? annon domus corruptæ fictâ castitate? Vt & eorum Clemangis Archidiaconus lib. de statu Corrupto Ecclesiæ testatur. Quidnam quæso hodierna sunt monasteria, nisi domus libidinibus plenæ, & impudicitia. ad satiandum concupiscentia illicita juventuti expositæ. Hoc testatur idem: Ivo Episcopus epist: ad Gvalterum. Hunbertus Episcopus epist: ad Raba: & Hospinianus de Monachis fol. 107.

Cyprianus epist: 62. scribit: antiquitus Ecclesiam, hominibus in votis conju-

conjugium non denegare. Ergo nunc videant Monachi & Moniales, quomodo longè absint â Sancta orthodoxa Ecclesia. Legant de vitando contubenio suspecto: Hieron: ad Demetriadem. Chrysost: lib 3. adversus vituperationem vitæ monasticæ, qui affirmat etiam voto facto licere cuculum ablegare, ut Polidor. lib. 7.c. 1. Aug: & Cyprianus lib. de Virginitate. c. 34. & Distin: 27. Canon: Quidam: dicit. Nonnulli eos, qui post votum castitatis ineunt matrimonium, adulterio notant: Verum ego dico graviter tales peccare, nam & divortia ponunt. Concil: Chalcedon. Can: 16. mandat Episcopis, quatenus Monachis & Monialibus post votum, matrimonium non interdicant.

At dices: Apostolus 1. Tim. 5. ait: Condemnantur abjectâ priori fide. ℞. *non intelligit Apostolus per fidem votum;*

tum; sed fidem, quâ in baptismo nos Christo desponsamus. Quod & Athanasius lib. 6. de Trinit: declarat: Væ illis, qui primam fidem è cœlis constitutam abjecerunt, & Bellarm: lib. 2. c. 24. de Monach: Fides nequaquã votum significat. Concil: Gangrens. Can: 9. dicit: eum, qui virginitati attendens, matrimonium abhorret, anathema esse. & Can: 10: Siquis virginitatem extollens, matrimonium deprimit, anathema sit.

Sozom: lib. 3. c. 13. Eustachium hæreticum tonsuram monasticam invenisse scribit, qui & cuculum & cæteras superstitiones monialium introduxit: & ideo condemnatus à Concilio Gangrensi est: Nam & contradicit doctrinæ Pauli 1. Cor. 11. & Aug: epist: 109. caput non tondatur. Epiphanius in Comp: doct: Sacerdotes Harpocrati tõsos incedere dicit. Hieron: verò de

custod:

custod: Virginit: ad Eustach: cuculum & vestes inusitatas superstitione fœtere dicit: & epist: ad Rust: vestes & nomina mutarunt, verum non mores. Tales ergo hodierni Monachi & Moniales, bubonum, noctuarũ, & vespertilionum figuram mostrosam gestantes: audiant Decretum, si suis traditionibus gaudent, Concil: Gangrens. can. 13. Fæmina vel vir continentiæ gratiâ immutans vestimenta anathema sit: audiant Basil. de verâ virginit: ille, qui in anima amittit virginitatem, neq; in corpore virgo est. Igitur videant & resipiscant: Nam si eis deficit oleum in lampadibus, nec cuculo nec tõsurâ juvabũtur dicit. Hilar: in Mat: c. 27. Lupus enim dum languebat non Jesuita, sed monachus esse volebat: Sed dum convaluit, pejor quam antè fuit.

His visis quomodo erga præceptum hoc in vita nostra gerere nos oporteat,

adver-

advertamus, cui castitas, pudor & verecundia opponitur: Et ne superstitio aliqua in nobis crescat, execremur horrenda turpitudinum exempla, quibus etiam bruta abhorrent, spurcos & obscænos sermones, vituperationes conjugii, obscœna vitia, heluationes, ebrietates, luxuriam; sic autem Deus nos custodiet, & ab omni malo defendet: Nec laxabuntur freni cupiditatibus & superfluitatibus. Interim mente & Spiritu purificati, sempiternas in Ecclesia Dei referemus actiones, Deum laudando in secula. Amen.

TER-

TERTIA PARS.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis. pſalm: 118 v. 130.

Septimum Præceptum.

Non furtum facies.

Summa hujus Præcepti.

Hoc præceptum, quia multa ſcelera continet, quæ Deus evitare jubet, ideo bonum uſum propriarum rerum, & juſtam poſſeſſionem ei opponemus: hinc quomodo in liberalitatis & frugalitatis terminis maneamus, docemur.

Explicatio.

Jam cum præceptum Decalogi prohibeat furta; ſi bona omnia eſſent communia, prohibitione furti nihil opus eſſet. Nam furtum eſt rapere aliquid ex alieno. Deus igitur expreſſe ſancit diſtinctionem dominiorum, & proprie tatem

tatem rerum exprimens tàm lege naturæ, quam lege divinâ, licere pio homini tenere proprium, & recte uti facultatibus: & cum alij sint ignavi, alij cupidi, alij prodigi, intelligit quidem naturalis ratio hæc; at non ſcit pares cauſas quærendi & conſervandi bona tenere; Hinc natura corrupta ſit; Et ut ſocietas hominum conſervetur, quæ ita ordinata eſt, ut alij aliorum ope indigeant, monet nos Deus de æqualitate & juſtitia, qui eſt æqualis in omnes, nec acceptor perſonarum; monet de propriarum rerum uſu in virtute, timore Dei, fide, bonâ conſcientiâ, quas homo à Deo dari agnoſcens ſedulo ſtudeat honeſtis rationibus conſervare, & ad uſus à Deo ordinatos conferre: Hinc noſtra invocatio & fides exercetur, gratitudo erga Deum declaratur, cura & diligentia in bonis corporalibus parandis augetur; Verum prout hæ

virtutes hominem condecorant; sic & vitia pugnantia cum virtutibus eum deturpant: Etenim non modò furta privata & publica huic mandato Dei contrariantur; sed & fraudes in contractibus; injusti contractus, injustæ expilationes, propter quas plebis miseræ mutationes fiunt (Quando enim duplicantur lateres, tunc venit Moïses) usuræ supra sortem exactæ, rapinæ tàm prædonum, quàm involantium jura Ecclesiastica; mercedes & stipendia injusta. Tales sunt ac privati fures: Nam publici in auro atq; purpurá; privati verò in compedibus atq; nervo ætatem degunt, ut M. Cato ait. Vnde proverb: magnos fures gestare in collo catenas aureas, tenues verò strangulari catenis ferreis. Sed væ, qui spolias, quia spoliaberis. Esai. 33. Et:

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.

Et Hesiodus: *Non*

Non malè lucreris, mala lucra æqualia damnis. Nõ sic Paulus Rom: 12. docet, necessitatibus Sanctorum communicate, & Hebr: 13. Beneficentiæ & communicationis, nolite oblivisci, talibus enim sacrificiis delectatur Deus: Ideo, ut fontes tui deriventur foras Proverb.5. Frange esurienti panem tuum Esai. 58. hilarem enim datorem diligit Deus: Ergo benefaciamus omnibus, maximè autem domesticis fidei. Gal. 6. De Tyberio secundo Imperatore scribitur, quod, cum reprehenderetur, quia ærarium eleemosynis exhauriret, respondit: nunquam defuturam esse pecuniam fisco regio, quam diu pauperes eleemosynas accepturi essent, & benè: Nam qui parcè seminat, hic parcè metet. 2. Cor: 9. Qui verò dederit potum aquæ frigidæ uni ex minimis propter me, non perdet mercedem suam Matth. 10.

Retineamus ergo fidem, & alia dona spiritualia, ne per maleficia nobis excutiantur; præbeamus victum & hospitium Eliæ cum vidua Sareptana. 3. Reg: 17. Cum Abdia centum prophetas pascente 1. Reg: 18. Titus Imperator recordatus in cœna nihil cuiquam eo die fecisse beneficij, ait: Amici diem perdidi. Cyrus jurat, se majori voluptate affici, cum alios beneficiis ditat, quàm se ipsum divitiis, memor dicti: Acquirere opes, ut iis utatur: Vti autẽ, ut honore afficiatur.

Non absq; causâ Græci beneficentiam pinxerunt imagine trium Charitum seu gratiarum. Prima erat claritas seu serenitas; secunda lætitia: tertia voluptas: Significarunt his nominibus, illum, qui aliis prodesse potest, præstare debere beneficium vultu sereno, animo læto, & voluptate accipientis.

Sed nunc cum Caligula, 676. tonnas auri

auri, qui uno anno profudit, malunt nonnulli, profusiones immodicas facere in luxum, res non necessarias vel inhonestas. Injuriis aliorum mentes, famam, corpora, facultates, fraude, vi, desertione lædere, avaritiâ nemini benefaciendo opes cumulare, quam mandato Dei & verbis 1. Tim. 6. obedire. Qui volunt ditescere, incidunt in tentationem, & laqueos Diaboli, & cupiditates stultas & perniciosas, quæ demergunt homines in perniciem & exitium. Patet in Vespasiano, qui hac labe nimiâ pecuniæ cupiditate infectus fuit, etsi virtutibus aliis præditus: Vt rapacissimos quosq; de industria etiam ad amplissimas functiones promoveret, & locupletiores condemnaret, utens iis pro spongiis, ut & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Interim reprehendebatur à Tito filio suo, quod urinæ etiam vectigal commentus esset,

pecuniâ admotâ naribus ejus, sciscitatur â filio, num odore offenderetur; illo negante, inquit. Atqui èlotio est. Sveton: Verum etiam temporibus his habet suos sequaces Vespasianus.

Hæc cum ita sint, dices: Virtutes & vitia ex hoc præcepto enumeras quidem, & ut liberales simus, & bona opera faciamus mones: Vnde illa bona opera facienda esse constat. ℞. *Ex decalogo: Sunt enim divinitùs mandata, & sunt alia interiora, alia exteriora. Interiora sunt veri Dei cultus, ut fides, timor Dei, invocatio, gratiarum actio. Respicit enim Deus ad personam operantis, quæ nisi sit apud ipsum in gratia, nullum opus ipsi placet. Gen: 4. Sacrificium Caini displicuit Deo, quia & ipse non erat acceptus; ad Abelis verò respexit, & ad munera ejus. Sic omnium incredulorum, qui fide carent, opera, Deo non placent. Exteriora sunt,*

ut Esai. 29. frustra Deum colitis mandatis hominum, h. e. bonis operibus, quæ bonâ intentione fiunt, sed ab hominibus excogitatis. Quare per Moisen Deut: 4. disertè talia opera & cultus damnat; non quod tibi videtur, facias Domino Deo tuo, sed quod ego tibi præcipio, non addas quicquam aut detrahas.

Causa bonorum operum est Deus, qui per Spiritum S. illa operatur in cordibus hominum, non sumus sufficientes ex nobis. 2. Cor. 3. hæc sine fide impossibile Deo placere: Opus enim fit propter personam, quod si persona displicet, nec opus placebit; et quia tanquam arbor bona per fidem homo factus est: ideo profert bonos fructus, qui Deo placent. Tenemur verò ea facere lege & ordinatione divinâ ad præstandam obedientiam debitam, ut. Rom: 8. Debitores sumus non carni, ut secundum

carnem vivamus, &c. Vbi igitur fide caremus, fides non eſt, ſed ſuperſtitio.

Nec poſſunt noſtra opera unquam perfectè eſſe bona, quia etſi fiunt à renatis per Spiritum S. tamen non ex omni parte ſūt ſancti renati: habēt enim reliquias peccatorum, & concupiſcentiam pravam. Hinc imperfecta ſunt & contaminata omnia, etiam ſanctorum bona opera: Non enim dicit Scriptura. Peccata noſtra, vel opera mala, ſed juſtitiæ velut pannus menſtruatę Eſai. 64. & Rom. 7. Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.

Quomodo verò placeant noſtra opera Deo? Fide in Chriſtum, propter eundem, etſi ſint peccato polluta: Nam omne vitioſum in homine credente in Jeſum Chriſtum propitiatorem, ei condonatur & tegitur: & hoc cum tàm perſonâ quàm obedientiâ placent Deo propter Chriſtum: Salus

nam-

namq; non conservatur per bona opera, sed per fidem, quæ non solùm initiò justificat, verùm semper & perpetuò. Impossibile enim est, ut Concil: Apost: Actor. 15. testatur, hominem legis observatione coram Deo justificari: Sed omnes, quotquot salvati sunt, per fidem in Jesum Christum esse salvatos.

Hinc videte vos, qui tentatis Deum, & imponere jugum legis super cervices discipulorum vultis, quod nos, nec patres nostri portare potuimus, quam damnatas propositiones & abjectas producitis, utpote: Bona opera sunt ad salutem necessaria. Absq; bonis operibus nemo justificari & salvari potest. Audite igitur & insipientes intelligite: etsi enim explosos vestros & exterminatos fucos talium Pontificiorum dogmatum singulari Spiritus S. impetu per Lutherum scimus; majoris tamen vestri theatrici applausus in

præstigiis quibus debacchamini. Nos bona opera mereri præmia dicimus, sed non vitam æternam.

Merentur præmia non ex se, eò quod sint insufficientia, neq; propter suã dignitatem, sed propter promissionem Dei gratuitam, & in quantum à Spiritu S. proficiscuntur.

Non merentur autem vitam æternam: tùm, quia non sunt justitia illa verè credentium, quæ coram tribunali Dei consistit; Mereri enim remissionem peccatorum solius Christi, eiusq; obedientiæ est meritum; tùm quia sunt imperfecta, & peccato contaminata; & propterea, cum Paulus Rom: 6. vitam æternam vocat donum Dei, mox subjungit per Christum Jesum Dominum nostrum. Quare non sine causâ 1. Cor. 4. Paulus, nihil mihi conscius sum, dicit: sed nec in hoc justificatus sum addit. Si enim opera concurrant tanquam

cau-

causa vel meritum remissionis peccatorum, justitiæ & vitæ æternæ: dubitandum esset de hac semper: si operibus tanquam merces reddenda esset, quia sumus incerti; num satis habeamus de bonis operibus, quæ certissimum est nos nunquam satis habere.

Impia igitur & damnanda est opinio tàm de salute consequendâ, quam salute conservandâ. Solâ fide namq; per & propter Christum justitiam & salutem æternam consequimur, non nostris operibus: quæ etsi amittitur per peccata contra conscientiam admissa; tamen non per bona opera propriè conservatur; sed per Spiritum S. per verbum Dei & Sacramenta, ut 1. Pet: 1. Virtute Dei custodimur ad salutem. Prius igitur arborem bonam esse necesse est, antequam bonos fructus proferat: postea suâ naturâ fructus sequentur; qui tamen non arborem faciunt bonam,

ſed talem jam antea fuiſſe declarent. Et benè Lutherus in majori Confeſſ. de Cœna Domini Thom: Witemberg 2. fol. 107. ſcripſit: Qui ſentit bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem, errat; qui verò ad gloriam Dei neceſſaria eſſe intelligit, rectè ſentit. Et cum beneficentia & liberalitas eo usq; deduxit, ut notitiam etiam bonorum operum, qualiter facienda & credenda nobis inſinuaverit: utilitatem inde capiamus, & obviando univerſis vitiis pugnantibus cum hocce præcepto. Rogemus Dominum noſtrum, in tertio articulo Symboli parvi catechiſmi per Lutherum edocti dicentes: Credo me propriis rationis meæ viribus Jeſu Chriſto Domino meo fidere, aut ad eum accedere nullo modo poſſe; ſed Spiritus S. per Evangelium me vocavit, ſuis donis illuminavit, rectâ fide ſanctificavit, & conſervavit. Quemadmodum ſolet totam

Ecclesiam in terra vocare, congregare, illuminare, sanctificare, & in Jesu Christo per rectam unicam fidem conservare &c:

Octavum Præceptum.
IX. & X.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illus sunt.

Summa hujus Præcepti & reliquorum.

Præscribit Deus normam, quomodo actiones hominum, cogitationes, consilia, vires & appetitus naturales regi & conformes esse legi Dei debeant.

Jam scimus ideo nos esse conditos, ut bonitatem divinam. & sapientiæ testimo-

ſtimonia ubiq; impreſſa aſpiciamus, & conſideremus; voluntati verò Dei in Lege & Evangelio patefactæ obediamus. Ergo cum in finibus ſumus, præcepta hæc ſub una explicatione continuare nos oportet. Semper bonæ famæ, gloriæ: odia malorum & pericula, defenſioq; admiranda adeſt. Patet in Luthero, qui in doctrina de Deo illuſtrans veritatem, æternam gloriam conſecutus eſt in Eccleſia ſanctorum, nec deerant ei acerbiſſima odia impiorum, & atrocia pericula, in quibus mirabiliter eum Deus defendit. Veritas enim odium parit; Sed ut ille Prometheum interficere volens, gladio ferit ulcus, quo aperto convaluit Prometheus: Ita ſæpe inimicorum convitia, etſi nobis nocere volunt, tamen animi morbum, ſeu vitium nobis ignotum aut neglectum ſanarunt.

Philippus Rex Macedoniæ dixit, mag-

magnam se gratiam habere Atheniensium Oratoribus, quod convitiis meliorem redderent. Gloriam Mephibosethi calumniosè accusans apud Davidem Siba tollit. 2. Reg. 16. Uxor Potipharis Josephum Gen. 39. Senes Judices Susannam adulterii ream falsò fecerũt.

Hinc videnda sunt longè lateq; sparsa etiam nunc per universum mundum scandala: Homines namq; commutaverunt veritatem in mendacium, Rom. 1. Veram notitiam Dei & legis in injustitia captivam tenent, ut justè eis alludat illud Medici factum: qui cuidam incidenti in Pleurisin succum propinans ex stercore equino, ex pharmacopolio, affirmabat se potionem illi allatam porrigere: Sic nunc omnes sermones ac gestus, opiniones, non congruentes cum animo, sed conjuncti studio fallendi, & aliis nocendi sunt: Inde falsa dogmata, non congruentia cum

veri-

veritate verbi divini promanant, hæreſes, errores multiplices, ut rectè illud Socratis quadret; nullum exiſtimo tantum malum eſſe homini, ac opinio falſa.

Videant igitur, quàm graviter peccant & præceptum hoc violant pernicioſo ſuo ſtudio legem divinam depravando, perfidiam in amicitiis ſervando, calumnias in teſtimoniis alendo, quæ fit adverſus rei ignarum, & abſentem, cui fides temerè adhibetur, ſub prætextu juris, aliorum famæ, vitæ, bonis inſidiando, rectè dicta & facta malitioſè depravando, clancula falſa crimina, ut Diabolus, qui à calumnia nomen habet, ſerendo, homines pios in Religione & obedientiâ erga Eccleſiam trucidando, blaſphemiæ, ut Judæi Chriſtum accuſando & ſeditionis.

Lucianus in libello ſuo depictam imaginem calumniæ, ſic ab Appelle ſcribit:

bit: Ad virum grandibus & papulis auribus præditum, quem duæ mulieres Ignorantia & Suspicio circumstabant, accedebat admodum bella mulier, calumnia videlicet: quæ alterâ manu facem ardentem tenebat, alterâ juvenem in cœlum suspicientem, & Deos *suæ innocentiæ testes invocantem capillis trahebat; hanc anteit* Livor, *& comitantur pedissequæ, insidiæ & fraudes; à tergo lugubri specie sequitur pœnitentia, quæ respiciens veritatem accedentem cum pudore intuebatur. Propterea* Plutarchus *benè dicit:* Etiamsi *sycophantæ morsu inflictum vulnus sanatur, tamen cicatrix manet.*

Mens ergo, quæ errabunda veritatis propriis imaginationibus depravatur, plerumq; contra conscientiam agit, & hoc vel spe commodi, vel levitate falsâ ducta: ut patet in iis, qui intelligunt cultus idololatricos, & tamen

contra conscientiam voce & scriptis errores defendunt; Sed mendacis oris finis est calamitas, quod quanta mala in vita privatâ & publicâ adferat, notum est. Ergo, qui decipit justos, corruet, & simplices possidebunt bona ejus proverb. 18. In hos verè competit illa Andromaches oratio apud Euripidem: O omnibus hominibus odiosissimi Spartani dolosi: mendaciorum reges, architecti malorum, gens flexiloqua & nihil sanum, sed omnia insidiosè sentientes: injustè felices estis in Græcia: Recti enim habitabunt in terrâ, & simplices permanebunt in eâ, impij verò de terrâ perdentur, dicitur Proverb. 2.

Vt autem Deus ipse mentiri non scit, ita & verbum ejus non esse ambiguum, & promissiones ac comminationes ejus nequaquam vanas & falsas, sed ratas & firmas esse sciamus. Exigit namq; à nobis Deus, ut veritatem colamus,

lamus, quæ à reipsa nomen habet, ut non modo debita obedientia & honos Deo præcipienti præstetur; verum ut agnoscamus Deum sicut se in verbo suo patefecit, & confiteamur eum veracem, ut Joh: 8. qui misit me verax est.

Sanctifica ergo Deus nos in veritate tua: Nam sermo tuus est veritas Joh. 17. & cum falsum testimonium multa vitia secum trahat: Quomodo? Videamus. Falsum testimonium Jesabel occidit Nabot, desiderâte vineam ejus. Falso testimonio desiderabant senes Susannam uxorem proximi sui. Falso testimonio desiderabat Gihasi vestes & munera Naamon. Hæc & multa alia pius & Christianus lector in libro S. Scripturæ inveniet, qui casti pudoris decus retinere vult. Nam cum & Venus in vinis, ignis in igne furit: nimium freni cupiditatibus ne laxentur videat. Interim Spiritus S. cujus fructus est

temperantia Gal. 5. mentem accendat, & moveat voluntatem ad obtemperandum nos Deo. Cujus & instinctu oremus Patrem una cum Filio ejus unigenito, ut nos in lege sua ambulare nec deficere ab ea faciat & liberans nos ab õnibus periculis animæ & corporis, & Evangelio suo sancto munitos in vitam æternam custodiat: dicentes.

Æterne

ÆTerne & unice Pater Domini nostri Jesu Christi: te unum, æternum, omnipotentem, vivum, & verum Deum, conditorem & conservatorem totius mundi, & Ecclesiæ tuæ supplices toto pectore oramus. Vt quum tibi explorate cognita sit nostra caligo & cæcitas, apud te verò sit fons vitæ, & in te tanquam vero Patre luminum videamus Filium lumen in lumine. Spiritus S. tu nos oculis gratiæ & misericordiæ respicias, regas & gubernes, ut hauriamus ex te veram lucē, vitam, & lętitiam spiritualem mediante luce incorrupti verbi tui, quo depulsis densis tenebris, fluctibus dubitationum, & errantibus motibus nostris, agnitio tui vera, in mente illustrior, assensus in voluntate

 firmior,

firmior,& motus in corde efficiatur ardentior: ne ullis irretiti laqueis vel quibuſcunq ſophiſmatum præſtigiis, ab agnita veritate deficiamus.

O Fili Dei vivi, Domine noſter Jeſu Chriſte te precamur, ut ipſe nos doceas, & in veritate tua ſanctifices, eamq; in denſiſſimis tenebris extremæ hujus & deliræ mundi ſenectæ, repreſſis impiis hereticorũ furoribus tuearis & vindices.

Tu vides quam triſtia ſunt vlunera Eccleſiæ tuæ opinionum diſſidiis & Cainiais odiis horribiliter diſtractę. Tibi non eſt ignota petulantia, potentia & rabies hypocritarum. Da igitur Eccleſiæ tuæ oppreſſæ politias honeſtas & tranquillas. Tuere Rerumpublicarum harum regionum pios Magiſtratus. Reprime ac depelle a ceruicibus noſtris

ſtris ſævitiam & immanitatem quorumcunq; hoſtium : nec ſinas in Eccleſiæ tuæ domiciliis fieri barbaricam vaſtitatem horribilem : Et à peſte bello & fame liberans nos, da pacem in diebus noſtris.

Chriſte Jeſu te humiliter obteſtamur, ut propter gloriam nominis tui clementer nos reſpicias, & lucem doctrinæ tuæ veræ ſingulari beneficio tuo accenſam præſtigiis & tenebris ne patiaris extingui. Dele blaſphemias ac mendacia, quę in impietate ſua Phanatici pluſquam Cyclopes eructant.

Et Confirma Spiritu S. tuo hos, quos in vera agnitiōe tui elegiſti, ut te una cum æterno Patre, & Spiritu S. æternum, verum, omnipotentem Deum læti celebremus per infinita ſecula,

Amen.

Nulla species tanta peccati est, qua non sit superior Jesus.

Origenes.

Conclusio.

QVisquis onusta geris mordaci pe-
(ctora culpa,
Huc huc ad Christũ tẽdito, liber eris.
Grates, solue Deo gratas, sic ante
(benignus.
Dona licet dederit plurima, plu-
(ra dabit.
Scire tuum nihil est, Christum te
(vera docere,
Ni quoq; vis veram, quam do-
(cet, ire viam.
Vngit Evangelium, cum lex mala
(pectora pungit:
Qui Christi exemplo jungit u-
(trumq;, sapit.
In se virtutes Dilectio continet õnes,
Lectio quin legis quod legit, omne
(tegit.

Soli Deo Gloria.

CHRONICA.

Universi ſtatus totius mundi cum rebuſ geſtis Eccleſiæ & antiquitatum annotationibus.

Argumentum annorum & ſtatus mundi, ſeu, Epitome Vniverſorum.

Auguſtinus Tom. 9. Johan: Evangel. tract: 9. dicit, dividens ætates.

SEx ſunt ætates: Prima eſt ad tempora Noah:
Altera ad usq; Abraham: Tertia Regis erit:
Quarta abit ad magni Babylonia vincula Regis.
Quinta ad Baptiſtam: aſt ultima durat adhuc.

Memorabilia, quæ ab initio mundi facta ſunt, verſibus memorabilibus includuntur:

 1. Mun-

1. Mundus & humanum genus. 2.
(atq; Ecclesia cœpit.
Conjugium sancitur. 3. opus probi-
(betur in horto.
4. Fit dominator homo. 5. mox tri-
(sti labitur ausu.
6. Pœna tamen lenitur. 7. in ipso ubi
(semine vita est.

Primùm igitur hominum genus rude, incultum, & agreste, vagumq; erat. Post aliquantulum cultum extruit urbes, & variis artibus exercetur, & hoc seculo primo.

Cum autem artes vigerent, quibus exercebantur in seculo secundo: servorum jugum, luxus in vestibus, venatorum numerus legesq; vigebant. Mox navibus æquor tranant, musarumq; crescit amor: musica, mercatura cœpta est tertio jam seculo.

Et cum Adamo nati sint duo filij Cain & Abel, nascitur post cæsum fra-

trem

trem Seth, cujus posteritas Enos, Cainan, Malalael Jared, Enoch, & usq; ad Lamech & Noah, quia fusè in Genesi recensetur, benevolum lectorem eò remitto.

Jam mille anni respondebant vitæ Adami, Enochi & Noachi, in quarto seculo secundo millenario.

Obruitur meritis sceleratus fluctibus orbis,
Arca pios piccata fovet, nec aperta per annum.

Post diluvium proponitur de mansuro ordine naturæ cum confirmatione legis

Ergo novus mundus satus est de stripe Noachi,
Estq; datum verbum, verbiquoq; tessera, nubis
Arcus, & est carnis nobis data copia edendi
Sanguinis & data lex, politiæ nervus habetur.

Tum

Tum primum se attollit regia majestas sexto seculo, cum genus humanum dispergeretur, & propugnacula ac varias urbes conderet. Primus regnavit Nimrod ex posteritate filiorum Cham. Sic scribit Epiphanius ex filiis Noachi fuisse 72: Vnde tot idiomata extiterunt. Geneseos verò 10. enumerantur 70. horum posteri; Linguam a. Hebræam antiquissimam in familia Peleg mansisse. A diluvio hinc numerant 340. annos Ebræi.

Et quia Noachus reliquit tres filios, Sem, Cham & Japhet, qui quidem natu major erat; at propter Christum ei Sem præfertur, in cujus posteritate mansit Peleg, qui genuit Regu, Regu Serug, hic Nachorum, Nachor Thare, à quo Abraham. Reliquorum ideo filiorum Noah ad librum geneseos posteritatem remittimus.

Interim Noah moritur post diluvium anno 350.

Monar-

Monarchiæ in ordinem rediguntur, cum duo millia habent finem. Annis ducentis Ninus Nimrod sequitur filius Beli, primus Idololatra, patri suo sacra divina faciens. Nini imperium sequitur Semiramis mater, tum, cum à Dionysio Jove Lybico Osyris in filium adoptatus toti Ægypto imperat. Hoc tempore Saraceni orti cum Chamo filio Noæ & Gog Arabiam invadunt. Eo tempore Italiæ leges dat Comerus, & in Hispania Thubal Celtiberos condit. Bachus pater Dionysii, qui & Hamon Tritonis filius Regis, Lybiæ regnat. Berosus.

Seculo octavo idoli cultus magnâvi erescit.

Nono seculo aurea tempora nascuntur, ubi & certa salus humana floret.

Decimo seculo fit promissio Abrahæ, cum esset 72. annorum, temporibus

Nini Regis, religionem & agricultu-ram Sabatius Saga Italos docet.

Juno Ægyptia ex Rhea naſcitur.

Poſtquam ergo moritur Noah poſt diluvium anno 350. annis 16. poſt Abraham ex Charan in Palæſtinam proficiſcitur; poſt 25. annos Sodomæ delentur.

Ergo Abrahæ ſemen benedictum, (quaſlibet undas.
Colligit in gremio, genteſq; hac (voce notantur.

Eo tempore arma in Lybia inventa, Phaëtontis incendium circa Iſtros; cum hoc intervallo moriuntur Arphaxad, Sarug, Thare, Sara, Abraham anno ætatis 174.

Herba virens ævum benedictum (eſt ſemen in omne,
Stirpis Jeſſæ memorandum, & no-(bile germen,
Illius Iſaac potuit Typus eſſe, proïde
Ger-

Germinet Abraham natum, hic (quoq; germinet ultra.
Limitibus cinctus.

Jacob & Esau nascuntur. Sequitur servitus Ægyptiaca. Anni ergo à migratione Abrahæ ex Charam ad natum Isaac 25.

Sexaginta annis natus Jacob, nonaginta natus Joseph. Vixit autem Joseph centum & decem annis. Sexagesimo quinto post Joseph, natus Moises, A nato Moise ad exitum ex Ægypto anni octoginta: hinc summa: à migratione Abrahæ usq; ad exitum anni 430.

Hic annus exitus Ægyptiaci est à condito mundo bismillesimus, quadringentesimus quinquagesimus tertius.

Moises ergo natus post quadringentos annos scilicet quarta generatione populum eduxit. Hoc tempore Mercurius Trismegistus Sacerdos, philosophus, Rex Æygpti floret. Regnum

gnum Athenarum incipit, diluvium in Thessalia, Tabernaculum in deserto erectum, exploratores in terram Canaan missi, libri Moisis scripti, Trojanum Regnum, ubi Berosus & Eusebius ad conditam Trojam à diluvio annos 830. numerat.

Sub mortem Moisis Dionysius in India Nisam condit.

Hæc tibi sunt sanctum sacro de sti- (pite semen,
Hinc juxta speciemq; suam seriemq; (sequente
Nascatur populus, cujus fiducia (verbum.

Hinc incipiunt Judices populi. 1. Josua, cujus temporibus Bethania condita literas tradidit. Othoniel Judex populi 2. Tunc Corinthus prius dicta Ephira à Sisypho condita, Maro in Ægypto labyrinthum condit, Ehud Judice populi. Samgae illum, & hunc Debora & Baruch

Baruch sequitur. Velocissim' equus Pegasus inventus, Gedeon Judex; ejus tempore Midas in Phrygia regnat & Galatas in Asiâ condidit. Abimelech Judice Miletus condita. Temporibus Tholæ, Orpheus musicus floret, & Linus magister Herculis. Jais judex, quo vivente Hercules Priami occisi filium Regem Trojanum fecit. Thanaë Gothorum Rex regnat.

Interregnum octodecim annorum in Israële.

Post consurgit Jephthah, ejus tempore Menelaus Lacedæmoniorum Rex. Lampetho & Marpesia primæ Reginæ Amazonum vixerunt. Theseus Helenam rapuit, per Herculem liberatur, ab Aidone Rege Molossorum captus. Hercules se combussit, dum Minus adversus Dædalum arma corriperet, Judicante Abesson undecimo judice in Israël. Diebus verò 12. Judicis in Israël

Elon. Bellum Trojanum & Protheus sacerdos Ægypti claret. Mopsus in Cilicia regnat. Sequitur Abdon, & hunc Samson, cujus diebus Homerus floret. Orestes. Ultimus Judex populi Eli sacerdos, & tum Amazones templum Dianæ Ephesiæ succendunt, Alba per Ascanium condita.

Nunc Judæ Reges, Israëlisq; ordine
(dicam,
Saul primus, Jessea fuit stirps prox-
(ima regno,
Tertius est Salomon, quo non sapi-
(entior alter.
Filius obtinuit Roboam miser ille
(Manassem.
Hinc Abia est, illum sequitur opti-
(mus Asa,
Et pius & felix Josaphat, successit,
(Elias
Cum docuit magno fervore & mo-
(tibus amplis.

Impi-

Impius hinc Joram fratres macta-
(vit ad unum,
Idolis servivit. Ochosia deinde
(secutus,
Quem capit ipse Jehu, moriturq; ex
(vulnere, at hujus.
Accipit imperium vesana cupidi-
(ne mater,
Et scelerata nimis, de Regum stir-
(pe necatis
Omnibus, excepto Joâ, Athilia im-
(pia regnat.
Hunc & Amazias sequitur, cum
(Sardanapalus,
Interiit, primum pius. Hunc Osius
(at ille,
Rectius edoctus lepra est, Esai do-
(cere.
Quando incępit, at huic Jotham pi-
(us atq; secundus,
Impius, infelix, sequiturq; ignobi-
(lis Achas.

Mox pius Ezechias, quo jam re-
(gnante, Israelis.
Sedibus è propriis regnum trans-
(fertur ad ortum.
Hinc malus accepit regni post scep-
(tra Manasses,
Ad Dominum tandem hic rediit
(conversus, & omni,
Exemptus pœnâ est. Sequitur mox
(impius Amon.
Et pius hunc sequitur, Jeremiâ va-
(te docente,
Instaurans templum, delensq; idola
(Josias,
Vulnus ubi accepit, periit. Natusq;
(Joachas,
Mensibus at paucis successit, at in-
(de Joachim.
Hunc frater sequitur Jeconias,
(sponte suâ qui
Migrat ad Assyrios, Babylonia
(vincula gestans.

Post Zedechias miser infelixq́ rebellat,
Effossisq́ oculis Babylonem in carcere ductus.
Interriit.
At genus invisum nimium regnavit in urbe
Samariâ, cui Jeroboam fuit impius autor,
Donec ad interitum proprium properavit, ut ante
Diximus, Assyriis ducibus dispersa per orbem.

Vndecimo igitur seculo mundi, clades toti Asiæ infertur sub Trojãi Regni excidio. Eo tempore conduntur præclaræ urbes Carthago, Neapolis.

Duodecimo seculo consurgunt vates celebres Elias, Elisæus, Græcia septem sapientes fovet. Soboles Judæ in urbem Babylonis captiva abducitur.

Et quia seriem Prophetarum non nulli

nulli à Moiſe, & poſt à Samuele auſpicantur Prophetæ, ut Gath, Nathan, Achas Silonites, Gehu Aſarias, Micheas, Jahaſiel Zachariæ Levitæ filius, Elieſer filius Dodan temporibus Joſaphat & Ochoziæ, nos ab Elia inchoabimus.

Hic verò notum fecit tot ſigna per orbem.

Poſt natum Eliam antequam munus ſuum obiret, Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, & Sylvius Latinorum Rex, qui & Capuam condidit, floruerunt regnante Joſaphat Jeroſolymis.

Hujus temporibus & Eliſæi Zarea Ætiops contra Aſam deſcendit, Tyberinus Sylvius ſubmerſus in Albula flumine Tyberim fecit:

Tum Joſaphat filium Joram regem deſignavit, & cum

Spiritus illius Eliſæi in pectore ſedit,

Eliſæ-

Elisæus ad tempora Amaziæ duravit. Sub hoc tempus Athalia crudelis fœmina stirpem Salomonis delevit, cui Joas ex posteris Nathan successit, subtractus industriâ Jojadæ summi sacerdotis. Dido Carthaginem condit. Diogenes Athenienses judicat: Joathas Israëlitarum Rex dum regnat, Homerus poëta apud Argivos claret.

Moritur Elisæus sub Amazia Rege, prophetantibus Hoseâ, Amos, & Esaiâ. Monarchia Assyriorum divisa per Phul Belochum, qui postea temporibus Joël bellum contra Israëlem gerit, hic Monarchicum primum statum divisit.

Regnante Amazia & Osia: Jonas convertit Niniven vatidico gutture. Iis diebus Macedoniæ regnum incipit, cujus Rex primus fuit Caranus: & cum Oseas, Amos, & Esaias vaticinantur, incipit & Joël sua præsagia, cu-

jus tempore Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator floret, regnumq; eorum deficit.

Sub imperio autem Joathæ Judæam regentis. In Assyriis prophetat Naum, in Solymis Micheas: populus enim Judaicus jam dispergebatur per orbem. Lydorum his diebus regnum incipit. Primus Rex Ardisus. Israëlem abducit Tiglatphulassar Phul filius. Romulus & Remus sole deficiente toto nati. Horum vatũ tempore etiam impius Achab vixit. Brevi post Numa Pompilius nascitur. Hiskias jam cadente Israële regnat. Sennacherib blasphemia. Solis signum sub Asarhabdon filio Sennacherib. Midas in Phrygia regnat.

Temporibus Manassis historia Tobiæ refertur. Ad regnum ex pulvere evehitur in Macedonia Perdiccas. Bellum Romuli cum Sabinis.

Sequuntur tempora Joël, Nahum &

& Abacuc vatum. Eorum diebus primus Medorum Rex Dejoces honore regio utitur. Tum Nicomedia condita. Et dum Romulus moritur, Numa ei succedit. Tarentum conditum. Pœnitentia Manaſſis, Tullio Hoſtilio Romæ regnante.

Conſurgit poſt Rex Chaldæorum tertius Nabuchodonoſor. Eo tempore Bizantium conditum: vates Jeremias tunc docet, cruenta victoria Tulli Regis Romanorum ex Sabinis reportata. Interim Sophonias Prophetat in Judæa. Cyaxares Medorum Regi cæſo ab Aſſyriis ſucceſſit. Ancus Martius Romæ regnat. Thales Mileſius Examÿ filius agnitus primus phyſicus claret. Scythæ Palæſtinam usq; proceſſêre. Regnante Joachas & Nechao apud Ægyptios Arion muſicus claret. Cyaxares Ninivem cepit.

A Chaldæis capto Iſraëli prophetat

Ezechiel. Hoc tempore Traquinius Priscus Romæ regnat. Zedechias ex fugâ retractus visu privatur, in Babylonem captivus deducitur cum universo populo Judaico. Tum per Cyaxarem Medum fit eversio Ninive. Marsilia conditur.

Et cum Danielis prophetia claret, Ezechiel martyrio coronatur. Tùm Solon vivit, & Thales Ecclipsin prædicit. Cyrus Babylonem cepit. Reversio populi Israëlitici anno primo regnante Cyro:

Interim Jesus fit summus Pontifex, & Zorobabel dux populi. Thomyris Cyrum vincit, Pythagoras Physicus claret. L. Tarquinius Romæ regnat.

Consurgit postea Darius Rex Persarum Hystaspis filius. Circa Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ tempora. Huc historia Esther refertur, Babylon deficit, virtute Darij recuperatur.

Reges

Reges tunc Romæ exacti: Romanorum fœdus cum Carthaginensibus. Bellum Jonicum exortum, filius Jesu Joachimus historiam Judith conscripsisse fertur, & tum Jesus sacerdos ad Darium proficiscitur.

Tunc jam cessat Prophetia, quia omnia, quæ prædicta sunt, eventura erant.

Discutienda ergò nobis sunt, quæ restant, continuando historiarum seriem ad memorandum valde aptam, & hoc per secundam Monarchiam, quæ regitur à Christo, qui in extremo fine apparuit in carne nostrâ.

Ab initio igitur mundi ad destructionem Jerosolymæ sunt 3355. ad edictum verò Cyri de restitutione templi 3425.

Cyrus Rex Persarum primus, huic successit Cambyses filius; Cambysi Darius; Huic Xerxes, ei Artaxerxes Lon-

Longimanus. Post *Darius Nothus*; sequitur *Artaxerxes Mnemon*, cujus secundo anno captæ sunt *Athenæ*. Post *Artaxerxes Ochus*, *Arsames*; *Alexander M.* & *Darius ultimus Rex Persarum*. Et hæc quoad *Monarchias* & seriem historiarum hujus mundi.

Nunc ad Monarchiam Christi, quæ in omnem æternitatem durabit & genealogiam transeamus.

Judas Phares genuit, genitrix gentilis eidem

Quem Thamar incæstu peperit, nurus unica Judæ,

Post Esron, Ramq́, Aminadab, diEtusq́ Naason,

Post Salmon, Rahab uxor ei Jerichunte cadente,

Quæ salvata fuit panni sub tegmine rubri.

Ille Boos genuit, qui de Moabitide Rutha

Pro-

Progeneravit Obed, Jessæ hic stem- (matis autor.
Nam Davida dedit, de quo Salo- (monq́ Nathanq́.
Quorum hic stirps Christi nunq́ (dubitata remansit.

Christus igitur, qui est principium, adsit benedicens etiam fini incępti operis, & cujus generatio est ineffabilis, ipse hæc Symbola nos intelligere faciat, & Spiritus S. gratiâ adornare, ordinemq́ conservare. Quod ut ad Dei gloriam & utilitatem lectorum crescat, Christum Jesum toto corde & pectore oro, quatenus ad intelligendum, sensus nostros illuminet. Hæc inpræsentiarum offerre placuit viris, quorum fides in aperto triumphat.

Et quoniam Ebion Apostolis coævus, qui annô 80. sub Domitiano & Cleto Papâ floruit: Christi humanam & Divinam naturam, nomenq́ unius

personæ blasphemavit, negando Christum fuisse Deum, sed solam humanam naturam habuisse: contra quē Joannes Evangelium scripsit.

Ebionē vero imitatus est Cerinthus & Carpocrates, qui error devenit ad Patronū Theodotum Bizantium: Post Artemonem & Paulum Samosatenum in Syria: huic Magistro discipulus successit Photinus restaurans errorē. E. instinctu hujus materiæ placuit traditiones nonnullorum ponere diversas.

Sequuntur.

Traditiones nonnullorum scitu dignissimæ.

NEc beatitudinem nec miseriam esse perpetuam dicit Origenes. Idem teste Augus: ait. Animas e miseria ad beatitudinem, a beatitudine ad miseriam revocari trāsactis aliquot annorum curriculis: unde & Dæmones aliquando fore saluandos. Dicere

Dicere non unum esse caput Ecclesiæ internis, scilicet Papam. est hæresis ex Traditione Papæ.

Non licere vesci carnibus, Tatiani & Encratitarum traditio et error, de quibus Irenæus lib. 1. cont. hæres. Hunc errorem post amplexi sunt Manichæi: nunc Cartusiani.

Cibos sine omni discrimine quolibet die esse licitos, quantumlibet per Ecclesiæ sanctiones fuerint prohibiti, dicunt Hæres. quod non modo Lutherus, verum & temporibus Hieron. Romæ quidam Monachus Jovinianus improperabat.

Crucem non esse adorandam. Mag. Claudius Taurinensis Episcop. dixit.

Mortuos baptisare: Cataphriges ex Phrigia oriundi Duce Montano, qui se paracletum fuisse nominabat: authores. Vide Euseb. lib. 5. Eccles. histor.

Paruulis usu rationis carentibus

nihil

nihil prodesse Baptisma, quia non possunt habere fidem, nec credere verbo Dei. Petrus de Bruis Gallus traditor & inuentor. teste Bernhardo, hanc hæresim sepultam per 400. & amplius annos moderni Ariani & Anabaptistæ revocarunt.

Semel Baptizatos rebaptisare Donatistarum error, qui penes solos ipsos Ecclesiam dicunt: hos sequuntur Armeni, qui â christianis transeuntes rebaptizab: affirmantes, solùm penes Armenos Ecclesiam esse.

Beatos non videre essentiam Dei, sed claritatem essentiæ, in qua visione dicunt beatitudinem consistere, error Armenorum post suscitatus a Petrâ Bailar qui Deum non videri per essentiam a beatis dixit.

Beatitudo consistit in carnis deliciis error quorundam Iudæorum de regno Christi carnaliter omnia interpretantium.

Animam

Animam prius formari quam corpus. Iohan. Episcop. Hierosolim, dixit. vide Hieron. ad Pammachium.

Animam aut Dei substantiam esse, aut ex Dei substantia. Error Gnosticorum, qui a Nicolaò Diacono habent originem. De his Philaster in deposito Manicheorum. Animam fieri ab anima Patris, prout corpus a corpore. Error Tertulliani, test Aug. lib. de hæræs.

Animam transfundi de uno corpore in aliud. Pythagoræ sententia, amplexa post per Albanensem hæresin.

Eucharistiam non esse adorandam: opinio Joan. Oecolampadÿ, qui cum Luthero adhæsisset nec posset duci Luther. in eam sententiam: divisus est a Luthero. Animam ante infusionem corporis peccasse, & in pœnam tanquam in carcerem in corpus inclusam. author Origenes teste Epiphanio.

Ante diem judicij nullam animam esse beatam, quoniam Deum non videt: hæres. hujus authores Primi sunt Armeni. Post Græci. demum Johan. 22. Pontifex cui errori Irenæus, Theophilactus, & Bernhardus tam sancti viri adheserunt, nec mirum, quoniam ut Jacob. 3. qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Has igitur traditiones, nos qui cum verbo Dei sentimus diei extremi judicii versibus concludamus.

TOlle caput sursum peccator, signa ruinam
Nuncia signator quę dat adesse vides.
Nunc Regnum Regno, nunc gens contraria genti,
Nunc terræ motus, totus hic orbis habet.
Grassatur pestis, nunc terror & error ubiq;:
Hinc

Hinc mundi finem quis procul esse negat?
Christus Judicium Judex generalis habebit,
Omnes atq; tribus ante Tribunal aget.
Declinare forum morum censore sub isto
Nemo potest: reus hic orbis & orcus erit.
Maxima cũ minimis quæcunq; fuêre reposta,
Proferet in lucem Cardiognosta Deus.
Testem quisq; suum lævo sub pectore secum,
Huc inter vitæ spemq; metumq; feret.
Quem non præsidiis armata exceptio legum,
Nec replicæ poterunt invalidare plicæ.

Sed quæ lata ſemel ſententia ſtabit, ab illa
Jus appellandi nec datur inde tibi.
Quin et damnatos, tenet irremeabilis orcus
Rurſus & in vitam nec licet ire viam.
O Homo fac fidei ne ſit tibi curta ſupellex!
Propter te curtat nam Deus hosce dies.
Tempore Judicii mihi Chriſte benigne benignus,
Sis, & me tecum duc ſuper aſtra precor.

Nihil eſt miſerius, quam animus hominis conſcius. Plautus.

FINIS.